MASTER NEGATIVE NO. 93-81175-9

AUTHOR:

NAGEL, RUDOLF
GUSTAV ADELHARD

TITLE:

DE ERECHTHEO
TRAGOEDIA EURIPIDIS...

PLACE:

BEROLINI

DATE:

[1842]

Master Negative #

93-81175-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Nagel, Rudolf Gustav Adelhard, 1821-
De Erechtheo tragoedia Euripidis perdita ...
Berolini, typis Nietackianis, [1842].
96 p. 23 cm.

Thesis. Berlin.
Volume of pamphlets
D88ED ~~Copy in Classics Reading Room.~~
~~28~~
~~v.1~~

205812

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35

REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 3.18.93

INITIALS Susan

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

10

DE ERECHTHEO TRAGOEDIA EURIPIDIS PERDITA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM

ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

DIE 1. M. AUGUSTI A. MDCCCXLII.

HORA I. IN AULA MAIORE

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

RUD. GUSTAVUS ADELHARDUS NAGEL

CLIVIENSIS,

THEOL. EVANG. CAND.

OPPONENTIBUS:

SIGOFREDO NAGEL, CAND. PHIL.

SIGISMUNDO RAUH, STUD. THEOL.

HERMANNO ROSSEL, STUD. THEOL.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

PROOEMIUM.

Factum est hujus aetatis initio, ut in me conferrent evangelicum almae hujus civitatis stipendium saeculare curatores benignissimi, ea tamen conditione ac lege, ut usque ad Calendas Sextiles summos in philosophia honores ab hujus academiae ordine philosophorum amplissimo impetrarem. Atque is quidem pro summa humanitate beneficium beneficio cumulavit. Quum enim stipendium illud constitutum est, decreverat, quoties illud in quem collatum esset, dignum si quidem his tantis honoribus eum deprehendisset, gratis tanto decore afficere. Hujus autem humanitatis exemplum jam in me constituerunt. Jam vero quum commentatio esset scribenda, suscepi de Erechtheo, tragoedia Euripidis perdita, scribere. Id, quod mirari possis. Tum enim res est a studio theologico, cui potissimum operam dedi, fere aliena, tum vero hoc studiorum genus, quale nostra memoria perquam est frequentatum, sane non hominem in antiquitate hospitem requirit, sed non nisi ab eo tractari debet, qui et a rerum antiquarum doctrina et ab ingenii acumine largiter sit instructus, et veterum poetarum studio acerrimo atque adeo indole quadam poetica praeditus. Ex quibus equi-

dem nihil in me inesse contenderim, quam veterum poetarum, maximeque tragicorum Graecorum studium plurimum. De ceteris num quid praestiterim, judicent, si quibus dignus videatur libellus, quem inspiciant. Mihi quidem quum hujus fabulae fragmenta maximeque duae illae orationes longiores innotuissent, sanequam digna videbantur, quae pertractarentur accuratius.

Jam autem vereor, ne, modo libelli inscriptionem legeris, Iliadem post Homerum a me tentatam esse dicas. Quid enim post egregiam Welckeri commentationem esse reliquum, quod quis adiiciat? Equidem autem ingenue fateor, me nunquam hanc scriptionem suscepturum fuisse, nisi vero vir ille ingeniosissimus, idem mihi praeceptor carissimus, viam munivisset, ac summo quidem acumine, quam fere fabulae rationem poeta instituerit, quem locum singula fragmenta tenuisse videantur, investigasset. Sed satis habuit vir clarissimus, fabulae decursum, fragmentorum ordinem notare. Singula vero accuratius interpretanda reservavit aliis. De his igitur satis amplum spatium mihi relictum erat. Praeterea autem in ipso fabulae decursu investigando diversae sententiae, uti fit in tali re, hic illic adhuc locus esse videbatur. Quibus de rebus fieri posse sperabam, ut mea quantulacunque opera non omnino esset inutilis. Itaque aequo, velim, hunc libellum excipiatis animo.

Scribebam Berolini a. d. IV. Calendas Augustas
MDCCCXLII.

De Erechtheo, tragoedia Euripidis perdita, scribere postquam apud me constitui, unde initium repeterem, diu circumspectavi. Probe vero re considerata neque ab illa ipsa disjectis e membris concinnanda neque vero a fabula, quam quum complures scriptores antiqui narraverint, tum poeta noster celebravit, sed a materia paullo latius patenti exordiri placuit. Etenim quum tragoediae nostrae argumentum e rebus Atheniensium antiquissimis desumptum sit, quas quidem non hac sola illustravit Euripides: haud alienum a proposito duxi, priusquam ipsam aggrederer, pauca de universo harum fabularum orbe monere. Octo enim potissimum tragoediis noster res Atticas celebravit. Dictas putes Erechtheum, Aegeum, Theseum, Alopam, Jonem, Hippolytum, Supplices, Heraclidas. Quarum quidem quattuor prioribus perditis reliquae ad aetatem nostram pervenerunt. Jam modo paullulum earum argumenta consideres, non tam Euripidi solum neque vero tragicis propria esse invenias, sed tum ea populi Attici insignia sive in origine sive in factis majorum illustribus posita deprehendas, unde cunctus hic populus omni tempore summas sibi laudes repetiit: tum

autem, sin minus, tamen ejus generis quid tractatum videas, quod vel ad tribus alicuius Atticae ortum vel ad haec et illa sacra patria spectet. Sed accuratius rem persequar. Ac primum quidem ut de Jone dicam, id agit poeta, ut per Jonem, qui vulgo Xuthi advenae filius habebatur, Erechthidarum gentem nihil maculatam esse ostendat: neque enim Xutho, sed Apolline patre ex Creusa Erechthide esse procreatum, itaque et ipsum et qui Atticam occupaverint Jones, ad priscam illam Aboriginum stirpem pertinere. Conferas in hanc rem vv 821 sqq., 1305 sqq, 1481 sqq, 1589 sqq (1). Jam vero, quaeso, quid aliud quam *αὐτοχθονίαν* illam celebrat, quam summo sibi honori duxisse Athenienses maxime cognoscas ex laudatoribus Atticis, qui quidem ex ea laudum exordium capere solent (2)? Deinde Erechtheo Atheniensium cum Thracibus, Eumolpo duce adortis, sive ut Bergkii (3) verbis utar, stirpis germanae cum adventicia certamen sub conspectu collocavit. Quo quidem certamine et rex Erechtheus et Erechthei conjux ac filiae insignem patriae amorem praestitisse ferebantur. Supplicibus civium virtutem, humanitatem, pietatem praedicat, qui quum Thebani ducum Argivorum, qui funesto illo bello occubuerant, cadavera inhumata jacere vellent, Adrasto supplice Thebas profecti vi Thebanis erepta Eleusine humarunt, itaque morem illum sacrum inviolatum esse jusserunt.

(1) Sequor in versuum numeris notandis editionem Tauchnitzianam, quae anno 1811 prodiit. — Ceterum de re cf. Hermann praef. in Jonem p. XXX.

(2) Locos collegit Bergk de reliquiis comoediae antiquae p. 243 sqq.

(3) l. l. p. 243.

Similiter majorum laudes Heraclidis celebrat. Etenim quum Heraclidae ab Eurystheo pulsi nusquam, ubi considerent, reperirent: soli Athenienses eos hospitio excepisse, Eurystheum magno exercitu insequutum vicisse, victum cepisse ferebantur. Atque id ipsum noster tractat. Jam vero comparemus, quae majorum facinora persequantur laudatores Attici. Ac primum quidem narrat Herodotus (1), quum brevi ante pugnam Plataeensem Tegeatae luculento quodam antiqui regis facto prolato cornu exercitus sinistro praeesse affectarint: Athenienses et ipsos hujus honoris cupidos, quid ipsi adversus Eurystheum et Cadmeos, nec non Amazones praestiterint, e contrario posuisse. Eadem persequitur Lysias in oratione funebri (2). Quem subsequutus Isocrates et in Panegyrico et in Panathenaico (3) multus est in his extollendis, maximeque quanta et humanitas et potentia Atheniensium inde eluceat, explicat. Idem autem et Erechthei de Eumolpo, sive potius — etenim adversus barbaros quales se majores praebuerint, docet — Atheniensium de Thracibus victoriam celebrat. Haec autem omnia enumerat Plato, quum in Menexeno (4) Aspasiam inducit laudationem funebrem habentem, item Pseudo-Demosthenes, *λόγου ἐπιταφίου* scriptor (5). Ac maxime quidem laudatores funebres in hunc velut gyrum compelli solitos fuisse inde cognoscas, quod Lysias ea, quae modo commemoravimus, majorum facinora enarraturus *ἄξιον γὰρ,*

(1) Herod. IX. 27.

(2) Oratores Attici ed. Bekker tom I. p. 203 sqq.

(3) l. l. tom. II. p. 64 — 68. p. 370.

(4) Plato p. 239 B.

(5) Or. Att. IV, 4. p. 1509.

ait, *πᾶσιν ἀνθρώποις κἀκείνων μεμνῆσθαι, ὑμνοῦντας μὲν ἐν ταῖς ᾠδαῖς, λέγοντας δ' ἐν ταῖς τῶν ἀγαθῶν μνήμαις, τιμῶντας δ' ἐν τοῖς καιροῖς τοῖς τοιούτοις, παιδεύοντας δ' ἐν τοῖς τῶν τεθνεώτων ἔργοις τοὺς ζῶντας.* In quo quod *ὑμνοῦντας μὲν ἐν ταῖς ᾠδαῖς* inquit, lyricos poetas has Atheniensium laudes crebro cecinisse significat. Ac Plato quidem — isque et bellum cum Eumolpo gestum memorat — eas adeo a poetis decantatas esse dicit, ut accuratius persequi taedeat. Quid, quod Pseudo-Demosthenes postquam haec illustria majorum facta more solito enumeravit: *οὕτως ἕκαστον*, inquit, *εὐσχήμονας καὶ πολλοὺς ἔχει λόγους, ὥστε καὶ τοὺς ἐμμέτρους καὶ τοὺς τῶν ᾀδομένων ποιητὰς καὶ πολλοὺς τῶν συγγραφέων ὑποθέσεις τἀκείνων ἔργα τῆς αὐτῶν μουσικῆς πεποιῆσθαι?* In quo quum lyricos *τοὺς τῶν ᾀδομένων ποιητάς* appellet: *τῶν ἐμμέτρων* nomine prae ceteris tragicos, metro quippe adstrictiores, spectasse crediderim. Ac tragicos quidem minime his argumentis abstinuisse tum Euripidis, tum Aeschyli et Sophoclis exemplo comprobatur. Quorum ille Eleusiniis et Heraclidis, hic Creusa easdem ac noster Supplicibus, Heraclidis, Jone, fabulas illustravit (1). Fuit igitur hic laudum Atticarum velut orbis, in quo quum universa civitas summam gloriam poneret, tum et oratores et poetae versabantur. Atque animadvertas quidem, non tam singulorum heroum, quam cuncti populi facinora in hoc ordine fuisse. Quam in rem probe notes, licet in expeditionibus illis reges Atheniensium, Demophon, Theseus, maximeque Erechtheus insignem virtutem praestitisse fer-

(1) Cf. Welcker die Griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Cyklus geordnet. I. 592. II. 574. I. 891. cf. II. 725.

rentur, id tamen silentio fere praeteriri a laudatoribus Atticis. Nam popularis reipublicae status parum ferebat hos potissimum collaudari. Atque ipsum quidem Euripidem id agere reperiemus, ut reges quum ipsos inducat, tamen universae potius civitatis, quam horum laudes celebrare videatur. Sed ad reliquas pergamus tragoedias. Ac primum quidem Alopa id poeta videtur spectasse, ut tribus Hippothoontidis originem illustraret. Nam id quidem inde conjicias, quod Harpocratio (1) *Ἀλόπη*, inquit, *Κερκυόνος θυγάτηρ, ἐξ ἧς καὶ Ποσειδῶνος Ἱπποθόων, ὁ τῆς Ἱπποθοωντίδος φυλῆς ἐπώνυμος, ὡς Ἑλλάνικος ἐν τῇ Ἀτθίδι καὶ Εὐριπίδης ἐν τῷ ὁμωνύμῳ.* Jam vero quantae gloriae singulae tribus Atticae singulos ipsarum heroes principes duxerint: videas licet ex Pseudo-Demosthene (2), qui postquam *ἃ μὲν οὖν*, inquit, *κοινῇ πᾶσιν ὑπῆρχε τοῖςδε τοῖς ἀνδράσιν, εἴρηται· ἃ δὲ κατὰ φυλὰς παρεκάλεσεν ἑκάστους εὐρώστους εἶναι, ταῦτ' ἤδη λέξω* jam singulos heroes tribules persequitur. Proinde simile quid et in tragoedia nostra poetae observatum esse dixeris. Nam ab Erechtheo una e tribubus nomen duxit. Jam Aegeum et Theseum ut videamus, illa fabula Theseum incolumen Troezene Athenas profectum eumque evitatis Medeae insidiis a patre agnitum, hac ejusdem in civibus turpissimo illo tributo liberandis virtutem cecinit. Quae quidem facta licet non ea essent, quae solito laudum Atticarum ordini insererentur — neque enim ab universa civitate, sed a singulo heroe edita erant. de Theseo autem si quid celebrant laudatores Attici, pro libero civitatis statu id celebrant,

(1) Laudatus a Matthiaeo. Euripid. tom. IX. p. 41.
(2) l. l. p. 15. 16.

quod summam rerum ad populum detulit (1) — maximis tamen laudibus efferebantur. Euripidis quidem aetate maxime viguit Thesei memoria, cineribus Athenas deportatis sepulcroque tanquam asylo constituto. Accedit, quod Athenienses duorum illorum dierum, unius quo primum Athenas venit, alterius quo salvus a Creta rediit, memoriam singulis annis atque adeo mensibus celebrabant (2). Hoc autem ab Euripide minime praetermissum esse inde conjicias, quod et in Hippolyto extremo Dianam vaticinantem fecit, fore ut Troezeniae virgines nubiles tonsis capillis cantibusque lugubribus Hippolyti misere mortui memoriam colant. Id quod apud Troezenios in usu fuisse fusius docet Valckenaerius ad Hippol. v. 1423. Jam vero et Erechtheum et Erechthei filias Athenis in numero Deorum habitos fuisse testatur, ut unum e multis afferam, Cicero (3), qui quidem illius et delubrum et sacerdotem se vidisse asseverat. Id, puto, non neglexit Euripides. Sed ut in Hippolyto Dianam, ita hic Minervam de divino honore huic heroi tribuendo imperantem induxit. Sed hoc infra videamus. Ac de fabulis quidem Atticis haec hactenus. Quod enim voluimus, assequuti esse videmur, ut qui factum sit, ut poeta Atheniensium cum Eumolpo bellum cecinerit, videre liceat.

Jam vero propius rem ipsam accedamus. Ac primum quidem fabulam a nostro tractatam qua ratione referant scriptores antiqui, quaeramus necesse est. Quod ubi omiseris, quam viam sequutus sit Euripides, parum

---

(1) Cf. Isocrat. Panathen. p. 350 ed. Bekker.
(2) Plutarchus: Vita Thesei extr.
(3) De Natura Deorum III, 19.

invenias. Primo vero loco ponamus Lycurgum, oratorem (3). Is enim ubi Leocratem incusat, quod patriam prodidit: quantum differat a majorum virtute, probaturus insignia refert eorum facinora, tum alia, tum hoc. *Φασὶ γὰρ*, inquit, *Εὔμολπον τὸν Ποσειδῶνος καὶ Χιόνης μετὰ Θρᾳκῶν ἐλθεῖν τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα, τυχεῖν δὲ κατ' ἐκείνους χρόνους βασιλεύοντα Ἐρεχθέα, γυναῖκα ἔχοντα Πραξιθέαν τὴν Κηφισοῦ θυγατέρα. μεγάλου δὲ στρατοπέδου μέλλοντος αὐτοῖς ἐμβάλλειν εἰς τὴν χώραν, εἰς Δελφοὺς ἰὼν ἠρώτα τὸν θεὸν τί ποιῶν ἂν νίκην λάβοι παρὰ τῶν πολεμίων. χρήσαντος δ' αὐτῷ τσῦ θεοῦ, τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε πρὸ τοῦ συμβαλεῖν τὼ στρατοπέδω κρατήσειν τῶν πολεμίων, ὁ δὲ τῷ θεῷ πειθόμενος ταῦτ' ἔπραξε, καὶ τοὺς ἐπιστρατευομένους ἐκ τῆς χώρας ἐξέβαλε.* Jam vero addit, laudandum esse Euripidem, *ὅτι τά τε ἄλλ' ὢν ἀγαθὸς ποιητὴς καὶ τοῦτον τὸν μῦθον προείλετο ποιῆσαι, ἡγούμενος κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέποντας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν.* Longam autem ex tragoedia nostra Praxitheae refert orationem, qua quidem animo libentissimo sese filiam devovere dicit. Hanc autem Lycurgi narrationem eo potissimum tanquam fundamentum quaestioni sequenti substruamus, quod eum Euripidis vestigia pressisse ex iis, quae postremo loco commemoravimus, cognoscas. Quamquam eandem auctoritatem Pseudo-Plutarcho et Demarato, *τραγῳδουμένων* scriptori, deberi mox videbimus. Jam vero singula uberius explicemus. Atque initio quidem ut de Erechtheo disseram, magna est de hoc nomine apud veteres confusio. Quae quidem et ob-

---

(1) Or. Att. III p. 261.

repsit Meursio, ceteroquin de tota hac re meritissimo. Nos autem, puto, rem optime ita expediemus, si temporum ordinem sequuti, quid singuli narrent, videamus. Jam vero primus hujus nominis mentionem injecit Homerus. Is Athenienses vocat (1)

δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη
θρέψε, Διὸς θυγάτηρ — τέκε δὲ ζείδωρος Ἄρουρα —
κὰδ δ' ἐν Ἀθήνης εἷσεν, ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ·
ἐνθάδε μιν ταύροισι καὶ ἀρνειοῖς ἱλάονται
κοῦροι Ἀθηναίων περιτελλομένων ἐνιαυτῶν.

Minerva, inquit, Erechtheum terra editum in ipsius templo collocavit, ac primum quidem puto, *νεωκόρου* locum tenere, deinde vero tanquam heroem coli jussit. Veluti Venus Phaethontem (2)

ὦρτ' ἀνερειψαμένη καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς
νηοπόλον μύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον.

Namque *μιν* ad Erechtheum referri licere inde cognoscas, quod Athenienses ut hic colere dicuntur *περιτελλομένων ἐνιαυτῶν*, ita —id, quod narrat Herodotus (3) — Ol. LX Epidaurios jusserunt *ἔτεος ἑκάστου* Minervae Poliadi et Erechtheo sacra facere. Atque adeo eo referri debere ex orationis progressu cernitur. Idem alias (4) Minerva, inquit, ingressa est Athenas

δῦνε δ' Ἐρεχθῆος πυκινὸν δόμον

fanum, quto, quo colebatur. Antiquitus Minervae et Erechthei communia sacra fuisse vides. Proximus Homero, longo sed proximus intervallo succedit Herodotus.

(1) Iliad. II 547. sqq.
(2) Hesiod. theogonia v. 990. 91.
(3) Herod. V, 82.
(4) Odyssea VII, 79. sqq.

Is Erechthei *τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι* templum memorat (3), idque arctissime cum Minervae sacris junctum fuisse ex loco modo laudato colligas. Ac re vero quidem, notante Odofred. Muellero (2) idem templum tum *ὁ νεὼς τῆς Ἀθηνᾶς ὁ ἐν πόλει, ὁ ἀρχαῖος νεὼς ὁ τῆς Παλλάδος*, tum *Ερεχθῆος νηὸς* et *οἴκημα Ἐρεχθεῖον* audiebat. Duas enim in partes divisum erat, alteram Minervae, alteram Erechtheo consecratam. Narrat autem Herodotus tum alia in eo inesse memoratu digna, tum magnum serpentem haberi Minervae sacrum (3). Idem vero eum in Attica regnasse dicit, idque, ut videtur, statim Cecrope defuncto, eoque regnante nomen *Ἀθηναῖοι* percrebruisse (4), nec non Orithyiam, quam Boreas rapuerit, ejus filiam fuisse refert (5). Neque vero ullo loco agit, ac si duo distinguat cognomines. Neque enim quum *Ἐρεχθῆος τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι* dicit: tale quid spectet necesse est. Tertio loco Eteobutadarum gentem videamus. Ea enim quum sacerdotio in ejus delubro fungeretur: tum ab ipso originem repetit, eumque Vulcani et Terrae filium esse tradidit (6). Jam vero quum de Erechtheo Eumolpi victore fama ferret, hunc ipsum Terrigenam cum Eumolpo conflixisse et sive filiam sive filias patriae in salutem immolasse olim tradiderunt. Cujus rei licet unum modo testem afferre possim Pseudo-Demosthenem (7): tamen

(1) Herod. VIII. 55.
(2) De Minervae Poliadis sacris et aede in arce Atheniensium p. 21.
(3) Herod. VIII, 41.
(4) Id. VIII, 44.
(5) Id. VII, 179.
(6) Cf. eorum stemma apud Odofr. Mueller. l. l. p. 43.
(7) l. l. p. 1516.

cur pristinam ab eo famam referri crediderim, ex tota disputatione nostra mox apparebit. Is autem ita scribit: *ᾔδεσαν πάντες Ἐρεχθεῖδαι τὸν ἐπώνυμον αὐτῶν Ἐρεχθέα ἕνεκεν τοῦ σῶσαι τὴν χώραν τὰς αὑτοῦ παῖδας εἰς προὖπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι. αἰσχρὸν οὖν ἡγοῦντο τὸν μὲν ἀπ' ἀθανάτων πεφυκότα πάντα ποιεῖν ἕνεκα τοῦ τὴν πατρίδα ἐλευθερῶσαι, αὐτοὶ δὲ φανῆναι θνητὸν σῶμα ποιούμενοι περὶ πλείονος ἢ δόξαν ἀθάνατον.* Vocat igitur Erechtheum illum, qui filias immolavit, *ἀπ' ἀθανάτων πεφυκότα.* Quo nomine non potest non Terrigenam illum, Vulcani et Terrae filium, dicere. Idem autem et inde cognoscas, quod Pausania (1) auctore in Erechtheo illo duae statuae, Erechthei et sive Eumolpi sive Immaradi inter se pugnantium collocatae erant. Nisi vero eas inferioris aetatis esse velis, quo tempore qua ratione ibi collocare Athenienses potuerint, licet non eam quam nos volumus traditionem sequerentur, infra videbimus. Jam igitur quum unum eundemque heroem Erechthei nomine appellatum et Terrigenam et Eumolpi victorem habitum fuisse comprobaverimus: mirari licet, quod inde ab Euripide omnes fere scriptores aliter referunt. Videamus autem, quid ille Creusam Joni narrantem faciat (2).

Jon. *ἐκ γῆς πατρός σου πρόγονος ἔβλαστεν πατήρ;*
Creusa. *Ἐριχθόνιός γε, τὸ δὲ γένος μ' οὐκ ὠφελεῖ.*
Jon. *ἦ καὶ σφ' Ἀθάνα γῆθεν ἐξανείλετο;*
Creusa *εἰς παρθένους γε χεῖρας, οὐ τεκοῦσά νιν*
e. q. s.

---

(1) Pausan. I. cap. 27. (Schubarti et Walzii editionem sequor.)

(2) Euripidis Jon 277 sqq.

Jon. *πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθυσε συγγόνους;*
Creusa. *ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν.*

Hic igitur, quod Homerus de Erechtheo Terrigena habet, de Erichthonio refert: quod autem Pseudo-Demosthenos eundem illum filias devovisse narrat, Erechtheum Erichthonii sive nepotem sive filium inducit (1). Similiter vero reliqui. Sic Plato in Critia (2), sic Pausanias (3), sic Apollodorus (4). Atque is quidem paullo accuratius Erechtheum patre Pandione, avo Erichthonio natum refert, idem Orithyiam quum Herodotus Terrigenae tribuat, huic assignat. Quod autem Euripides Erichthonium Erechtheo substituit, et id conferas, quod quum Herodotus magnum serpentem in Erechthei templo versari dicat, noster Minervam Erichthonio infanti duo serpentes custodes adjunxisse narrat (5). Jam autem qui

---

(1) Ambigas de hac re. Nam Jon 1013 sqq ita legitur
Creusa. Ἐριχθόνιον οἶσθ'; ἢ τί γ' οὐ μέλλεις γέρον;
Senex. ὃν πρῶτον ὑμῶν πρόγονον ἐξανῆκε Γῆ;
Creusa. τούτῳ δίδωσι Παλλὰς ὄντι νεογόνῳ — e. q. s.
ὃ δὲ δίδωσ' ἐμῷ πατρί.
Senex. Κείνου δὲ κατθανόντος εἰς σ' ἀφίκετο;
Creusa. ναί. — Hic quidem Erichthonius Erechtheo tanquam pater filio venenum, de quo narrat Creusa, tradere videtur. Quamquam supra Erichthonius Erechthei πρόγονος πατὴρ dictus est. Quod quidem, puto, non possis non de avo accipere. Ita vero poetam l. l. rem in brevius contraxisse putes.

(2) Plato p. 110 A.

(3) I. cap. 2. extr. cap. 27 med.

(4) III. 15.

(5) Jon v. 20 sqq. Sic et Cecrops δρακοντοειδὴς fingebatur. Totam de Erechtheo fabulam recte, puto, Muellerus quum ad agriculturae originem referat, tum serpentibus ei adjunctis germina recentia et tenella (humi illa quidem serpentia) significari putat l. l. p. 5.

hoc factum sit, videamus. Ac primum quidem id compares, quod quum veteri Atheniensium fama unus modo Cecrops, διφυής ille, et unus modo Pandion, Procnae ille et Philomelae pater, regnasse ferantur et tanquam ἥρωες ἐπιχώριοι celebrentur: posterae aetatis scriptores inde ab Erechtheo altero usque ad Aegeum duos illis cognomines eosque e prisca Autochthonum gente regnasse tradunt. Namque illud quidem inde maxime cognoscas, quod Jone fabula noster ita agit, ac si Erechtheo mortuo tota stirpis spes sita sit in Creusa filia, nullo enim filio superstite Xuthum advenam regnum occupasse. Id autem testimonio est, Jones advenas Attica potitos esse atque ad eorum stirpem Aegeum ceteros reges pertinere. Namque Aegeus quidem apud Plutarch. Thes. cap. 13 μηδὲν Ἐρεχθείδαις προσήκων audit (1). De hoc autem ut dicam, Pandionem alterum idem novit Euripides, Aegeum ubi Pandionis filium vocat (2). Cecropem autem secundum hac ipsa tragoedia induxisse videtur. Jam logographorum, puto, studio et hos et Erechtheum nostrum debemus. Inter quos quidem Pherecydes antiquissimas Atheniensium fabulas copiose tractavit. Tria enim quum nossent nomina ex prisca Atticorum memoria celebratissima, Cecropem, Erechtheum, Pandionem, inde vero usque ad Aegeum hiaret fama — videntur enim Athenienses famam de Jonibus Atticae dominis obscurasse, ne laudi αὐτοχθονίας detrectaretur — hanc lacunam regibus cognominibus effingendis explere studebant. Id autem in Erechtheo eo fuit facilius, atque adeo nulla dedita opera fieri potuit, quod jam pridem Terrigena ille et Erichthonii nomen accepisse videtur. Quo quidem nomine perantiquo — jam enim Homerus de heroe Trojano habet (1) — αὐτοχθονία significatur. Nam ἐρι idem est atque ἀρι. Jam igitur duo quum ejusdem personae ferrentur nomina: unum recentioris memoriae, alterum ex prisca fama petitum idque templi antiquissimi appellatione sancitum: fieri non potuit, quin utrumque certae personae tribuerent, itaque quod de una illa traditum erat, inter duas dispertirent. Itaque evenit, ut miris illis natalibus Erichthonio reservatis — is enim vel nomine id expostulare videbatur — cetera alteri illi Erechtheo deferrentur. Idque eo usque progressum est, ut, quum aedes illa antiquitus non, quod Eumolpum vicisse sed quod Vulcano patre Terra editus ac Minervae alumnus esse ferebatur, Erechtheo dicata itaque Erichthonii esset propria — namque hoc ita sese habere tum ex Homero et Herodoto, tum vero ex Vulcani ara ibi constituta (2), ex serpente illo οἰκούρῳ nec non ex una templi parte Pandrosii nomine appellata cognoscas, modo quid nos supra memoraverimus, quid Euripides, Apollodorus, alii de Erichthonio Cecropis filiabus tradito referant, compares (3), — postero tempore Erechtheo Eumolpi victori assignaretur. Hunc in modum scribit Cicero l. l. »si Erechtheum Deum facimus, quid aut de Codro dubitare possumus aut de ceteris, qui pugnantes pro patriae libertate ceciderunt? — atqui in plerisque civitatibus intelligi potest, augendae civitatis gratia

(1) Debeo hoc Odofred. Muellero in Orchomeniac. p. 124 et l. l. p. 2. 3.

(2) Medea v. 633.

(1) Il. 20, 219.

(2) Pausan. I, 26. med.

(3) Eurip. l. l. Apollod. III, 14, 6.

quo libentius reipublicae causa periculum adeat optimus quisque, virorum fortium memoriam honore Deorum consecratam. Ob eam enim causam Erechtheus Athenis filiaeque ejus in numero Deorum habitae.« Sic et Aristides in Panathenaico (1) *ἀλλὰ τούτους*, inquit, *ταῖς εὐεργεσίαις νενικηκυῖα ἡ πόλις φανήσεται, Κόδρῳ μὲν δοῦσα τὴν ἀρχὴν εἰς τοὺς παῖδας, Ἐρεχθέα δὲ τοῖς ἐν ἀκροπόλει θεοῖς πάρεδρον ἀποδεῖξασα.* Atque hoc quidem errore seductos Athenienses in Erechtheo duas illas statuas collocasse suspicetur aliquis. Euripidem autem et ipsum id sequutum esse crediderim. Ac de hac quidem re hactenus.

Jam vero de bello videamus, quod Erechtheus Erichthonii nepos cum Eumolpo gessisse fertur. Audiamus autem primum, quid rerum gestarum, non fabularum scriptor narret Thucydides (2). Is, usque ad Theseum, inquit, Attica *ἀεὶ κατὰ πόλεις ᾠκεῖτο πρυτανεῖά τε ἔχουσα καὶ ἄρχοντας, καὶ ὁπότε μή τι δείσειαν, οὐ ξυνῄεσαν βουλευσόμενοι ὡς τὸν βασιλέα ἀλλ' αὐτοὶ ἕκαστοι ἐπολιτεύοντο καὶ ἐβουλεύοντο· καί τινες*, adjicit, *καὶ ἐπολέμησάν ποτε αὐτῶν ὥσπερ καὶ Ἐλευσίνιοι μετ' Εὐμόλπου πρὸς Ἐρεχθέα.* Principes igitur belli exstitisse Eleusinios, opem autem iis tulisse Eumolpum significat. Id quod et Acestodorus tradit, laudatus scholiastae ad Oed. Col. v. 1108. Eumolpum autem Thracem fuisse ad unum omnes consentiunt. De qua re non inscite monet Heynius (3), non tam de Thraciae incolis, quam de Thracibus Daulidem tenentibus esse cogitandum. Licet enim argumenta non afferat, id tamen eum in animo habuisse crediderim,

(1) Laudat eum Meursius de regibus Atticis p. 127.
(2) II, 15.
(3) Heyne. Observationes in Apollodorum p. 339.

quod et Thucydide (1) et Pausania (2) auctoribus Tereus rex ille Thracius, quem Pandion arcessivisse dicebatur, hanc regionem, supra Chaeroneam illam quidem sitam, tenuit. Namque, inquit Pausanias *πάλαι τῆς νῦν καλουμένης Ἑλλάδος βάρβαροι τὰ πολλά ᾤκησαν.* Fortassis autem huc referas, quod Phanodemus apud Suidam narrat, filias Erechthei mortem sibi conscivisse *στρατιᾶς ἐλθούσης ἐκ τῆς Βοιωτίας* (3). Nam et Boeotiae partem tenuisse olim Thraces atque Heliconem et Libethrum quidem Musis consecrasse auctor est Strabo (4). Ac nescio, an hujus rei et in eo deprehendas vestigium, quod Apollodorus — id, quod infra justo ordine narrabimus — Eumolpum a Tegyrio Thracum rege hospitio exceptum et regno donatum esse refert (5). Nam Tegyrae quidem oppidum Boeoticum vocabatur, Pelopidae illud quidem victoria clarum (6). Videtur autem antiquissima memoria Atticis maximeque Eleusiniis cum Thracibus commercium aliquod intercessisse. Ut enim omittam, fuisse, qui bellum, quo Codrus sese devovit, non cum Doriensibus, sed cum Thracibus fuisse dicerent (7): tum communi eaque antiquissima traditione Attica Tereus Thrax a Pandione arcessitus tradebatur, tum nescio, an ipsa mysteria Eleusinia ab his advenis repetiverim. Nam primum quidem Strabo in sacris Atticis Thracia deprehen-

(1) II, 29.
(2) I, 41 extr.
(3) Suid. s. v. παρθένοι.
(4) Strabo VII, 494. IX, 648. X, 721. cf. IX, 629.
(5) Apollod. III, 15.
(6) Plutarchi vita Pelopidae. c. 16.
(7) Cf. Muell. Orchom. p. 386.

dit (1), tum vero Eumolpidarum gentem, quae mysteriis illis praefuit, vel ad ipsum Thracem nostrum vel ad unum ex ejus posteris cognominem referunt (2). Neque vero tale quid percrebrescere potuisse crediderim, nisi antiqua traditio obtinuisset. Nam Athenienses *αὐτοχθονίας* laudis cupidissimos de suo in animum induxisse, mysteria celebratissima a barbaris esse condita, quis est qui credat? Hinc potius explices, quod ut ait scholiasta l. l. *ἀξιοῦσιν ἔνιοι πρῶτον Εὔμολπον ποιῆσαι τὸν Δηιόπης καὶ Τριπτολέμου τὰ ἐν Ἐλευσῖνι μυστήρια, καὶ οὐ τὸν Θρᾷκα.* Atque ipsum quidem Eumolpidarum nomen Thraciam originem sonat, quum Thraces olim musicos fuisse homines et ex aliis nominibus mythicis cognoscas. Apud eosdem mysteria floruisse narrant, ac notatu quidem dignum videtur, quod quum Apollodorus Ismarum Eumolpi filium fuisse narret, Homerus hoc ipso nomine Ciconum oppidum appellat (3), Cicones autem mysteria celebrasse auctor est Diodorus (4). Atheniensium certe mysteria propria non fuisse vel inde cognoscas, quod Pausanias (5) — isque de his rebus eos sequi solet, *ὅσοι ἴσασι τὰ ἀρχαῖα* — ea lege Eleusinios se submisisse narrat, ut ipsi initiis praeessent eaque suo jure celebrarent. Utque igitur Thraces complura in Boeotia loca Musis dicasse Strabo narrat, ita et Eleusine condidisse mysteria crediderim. Sed haec hactenus (6). Certe

---

(1) Strabo X, 922.
(2) Cf. Schol. ad Soph. Oed. Col. 1108.
(3) Od. 9, 39. 40.
(4) Diodor V, 77.
(5) I, 38. cf. de loco laudato I, 27 med.
(6) Uberius haec persequitur Hüllmann Anfänge der griechi-

vero, quamvis plurimis difficultatibus impeditae sint res Atheniensium antiquissimae: satius tamen habeo, aliquid agnoscere, quod re vera factum sit, quam, id quod nuper tentatum est, etymologiis contortissimis nihil non ad physicam doctrinam, speciosam illam quidem, frigidam tamen revocare. Jam igitur quum antiquitus fama esset de Atheniensium cum Thracibus certamine: variis modis haec sunt exornata. Ita primum originem Eumolpi ab ipso Erechtheo repetiverunt. Eum enim ex uxore Praxithea, Cephisi fluvi sive filia sive nepte (1) complures utriusque sexus liberos suscepisse, ab aliis alios memoratos. Ex his Orithyiam a Borea raptam ferunt. Quod quanta fide tenuerint Athenienses, inde potissimum colligas, quod bello Persico Boream tanquam generum auxilio vocarunt (2). Orithyiam autem Chionam peperisse narrat Apollodorus, eamque a Neptuno compressam Eumolpum. Ac Chionae quidem nomen qui finxerint, non difficile est explicatu. Cogites modo de Borea Thraciae maxime incola habito — quo quidem et Orithyiam detulisse fertur — deque Thracia, quam *χιόνι τὴν κατάῤῥυτον* et *χιονώδη* vocat Euripides (3). Eumolpi vero genus

---

schen Geschichte p. 35 sqq. ex quo, quae Strabonis et Diodori laudavimus loca, mutuati sumus. De Thracibus Boeotiae incolis cf. Odof. Muell. Orchom. p. 212, p. 379 sqq. Idem Proleg. in myth. p. 251 Eumolpidas Thraces esse existimat.

(1) Discrepant de hac re Lycurgus itaque, puto, Euripides et Apollodorus. Certe a Cephiso descendere Euripides significat, ubi Jonem ita de Creusa, Praxitheae filia dicentem facit: Jon. 1275

ὦ ταυρόμορφον ὄμμα Κηφισοῦ πατρὸς,
οἵαν ἔχιδναν τήνδ' ἔφυσας.

(2) Herod. VII, 179.
(3) Andromache v. 215. Hecuba 79.

quod ad Boream et Chionam retulerunt, inde repetas, quod Thrax fuisse tradebatur. Jam vero quum Boreas Orithyiam Erechthidem rapuisse ferretur — hujus autem fabulae originem videant alii — factum est, ut Thracis Erechtheo infesti origo ab ipso Erechtheo duceretur. Neque enim velut uno ictu, sed duabus fabulis in unam compositis id, quod Apollodorus de Eumolpo Erechthei pronepote habet, ortum esse crediderim. Sed haec hactenus. Jam vero narrat Apollodorus Chionam prae metu patris infantem projecisse in mare, ut quod Neptuni esset, atque illum quidem incolumem in Aethiopiam deportatum in Nymphae Benthesicymae aedibus educandum curasse. Fabulam sane complicitam, quam ex Euripide Apollodorum desumpsisse videri infra apparebit. Aethiopia qua ratione sit immixta, recte explicare videtur Heynius, quum Graecos Neptuni sacra a Libya repetivisse dicit. Cf. Herod. II, 50. IV, 188. Atque in Aethiopia quidem eum epulantem facit Homerus, et Aethiopum reginam, Cassiopeiam, punisse fabulantur. Jam ut ad Apollodorum redeam, Eumolpus unam e nymphae filiabus uxorem duxit. Alteri vero quum vim inferret, pulsus cum Ismaro filio ad Tegyrium Thracum regem confugit. Quibus nominibus quid significari videatur, modo monuimus. Notasse sufficiat, Pausaniam (1) non Ismarum, sed Immaradum vocare, idque, ut videtur, veterem traditionem Atticam sequutum. Jam ille ambos excepit et filiam in Ismari conjugio collocavit. Sed quum Tegyrio insidias strueret Eumolpus, pulsus ad Eleusinios fugit. Mortuo vero Ismaro quum Tegyrius non haberet, qui regnum tueretur,

(1) Vide l. l.

eum revocavit, eique reconciliatus imperium tradidit. Jam quum Eleusinii bellum gererent adversus Erechtheum, Eumolpus magno Thracum exercitu auxilium tulit. Venisse autem narrant laudatores Attici non tam, quo juvaret Eleusinios, quam *τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα*, sive ut accuratius Isocrates in Panathenaico, *φάσκοντα Ποσειδῶ πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν αὐτήν.* Ita et Hyginus venisse dicit Athenas oppugnaturum, quod patris suî terram Atticam esse diceret. Nota enim est antiqua fabula, Minervam et Neptunum de Attica certasse atque illam quidem vicisse. Cujus certaminis signa tum oleam sacram, tum puteum salsum et tridentis formam saxo impressam in Erechtheo viderunt Herodotus, Hegesias, Pausanias (1). Jam bello quum premeretur Erechtheus, oraculum consuluit, idque narrantibus Lycurgo et Demarato (2) — is autem *τραγῳδουμένοις* quum id narret, sanequam Euripidem sequutus esse videtur. num enim alius quis tragoedia Erechtheum celebraverit, equidem nescio — Delphos profectus, poetae autem nostri Phoenissas (3) si sequaris, Tiresia Thebis arcessito, idque quo tempore septem illi Thebas oppugnarunt. Sed quod Phoenissis narrat, de suo, puto, noster finxit, idque solita temporum computatione gravissime laesa. Nam Thebarum oppugnatio Theseo regnante facta esse tradebatur, quem quidem ducum Argivorum cadavera sepelienda curasse constans Atheniensium fama tenuit. Jam autem responsum tulit, unam e filiabus immolaret, ita demum patriam salvam

(1) Cf. Herod. VIII, 55. Strabo IX. Pausan. I, 26.
(2) Cf. Stobaeus XXXVIII secundum editionem, quae 1609 Aureliae Allobrogum prodiit. —
(3) V. 866 sqq.

fore. Cujus generis et responsa et immolationes non ita rara fuerunt apud veteres. Nam ut omittam aetatis mythicae exempla, maximam illa quidem partem a tragicis celebrata, veluti Codri, Leocorarum, Iphigeniae, Macariae, Polyxenae: et Agesilaus in Asiam profecturus filiam, et Pelopidas apud Leuctra pugnam commissurus flavam virginem mactare somnio jussi sunt. Videsis Plutarchum in vita Pelopidae c. 21, qui, quid Thebani de hoc jusso senserint, eleganter refert. Demaratus autem Proserpinae immolandam fuisse narrat — recte enim *Περσεφόνην* mutarunt in *Περσεφόνῃ* — nimirum, puto, tanquam Orci reginae. Compares, quod in Heraclidis v. 409,10 vates Demophontem jubent

σφάξαι — παρθένον κόρῃ (1).
Δήμητρος

Quo magis Euripidem et nostra tragoedia id induxisse indeque Demaratum sumpsisse suspicor. Jam is pro patria eam devovere minime dubitavit, nec minus conjux, quam quidem teste Lycurgo Euripides longa oratione animum generosissimum profitentem induxit. Videamus autem de immolatione accuratius. Ac primum quidem narrat Apollodorus, regem unam a filiabus immolare jussum natu minimam devovisse. Demaratus autem natu maximam immolaret, ei imperatum esse. Atque eum quidem Euripide auctore uti videri modo significavi. Quod autem Lycurgus *τὴν θυγατέρα εἰ θύσειε*, inquit: rem brevius contrahit. Jam utrum invitam percusserit, an volentem immolaverit, accuratius non

(1) Ita jure scripturam vulgatam mutavit Barnesius, sequutus v. 600.

tradunt. Quamquam si Demarati et Plutarchi (1), qui quidem et ipse se sequi Euripidem dicit, verba accuratius consideres, quorum quidem ille *παραγενόμενος δ' εἰς Ἀθήνας, Πραξιθέᾳ τῇ γυναικὶ τὴν πυθόχρηστον*, inquit, *μαντείαν ἐξήγγειλεν· εἶτα δ' οὕτω τὴν κόρην προσαγαγὼν τοῖς βωμοῖς ἀνεῖλε*, hic autem *καὶ συγκοινωνήσας*, ait, *τῇ γυναικὶ Πραξιθέᾳ προέθυσε τὴν παῖδα*: non poteris, quin Euripidem rem ita instituisse conjicias, ut etiamsi virgo non ignara neque invita mortem subierit, propria tamen laus penes parentes fuisse videatur. Jam vero, pergit Apollodorus, quum unam illam immolasset, ceterae quoque filiae sese interfecerunt. Conjuraverant enim *ἀλλήλαις συναπολέσθαι* — neque vero, id quod recte notat Welckerus, incassum, sed suspicatae fieri posse, ut uni quondam patriae in salutem mors subeunda sit. Quot fuerint, non addit. Quas autem Chthoniae — nam ita appellat virginem immolatam — sorores supra memoravit, intelligere non potest. Nam Creusam Xutho nuptam, Orithyiam a Borea raptam, Procridem a Cephalo interfectam tradidit. Quattuor omnino interfectas esse narrat Hyginus (2). Sed constans Atheniensium fama tulit — atque eam quidem et Euripidem sequutum esse infra videbimus, — tres fuisse. Nomina vero, si Phanodemum (3) et Apollodorum compares, retulisse videntur

(1) Laudatus a Matthiae Eurip. tom. IX. p. 160.

(2) Fabula XLVI.

(3) Discrepare enim videtur Phanodemus, quum non nisi duas filias, Protogeniam et Pandoram se pro patria devovisse narrat, nihil vero de tertia habet. Recte vero notavit Welckerus, nihil aliud nisi a Suida praetermissum videri, quod Chthonia vi potius interfecta sit.

Chthoniam, Protogeniam, Pandoram (1). Jam hunc in modum tradunt accuratius. Nec tamen factum est, quin narratione in brevius contracta Erechtheum tres filias immolasse tradiderint. Exemplum praeivit noster in Jone. Locum autem ipsum apponere iuvat.

Jon. *πατὴρ Ἐρεχθεὺς σὰς ἔθυσε συγγόνους;*
Creusa. *ἔτλη πρὸ γαίας σφάγια παρθένους κτανεῖν.*

Quem locum Hermannus (2) ei traditioni aperte repugnare dicit, quam in Erechtheo poeta sequutus sit. Rem quidem in Euripide non inauditam. Neque tamen necesse puto, ita statuere. Namque, notante Welckero (3), quum duarum illarum vita a Chthonia penderet, rex hac immolata et illis quamvis imprudens necis auctor exstitit. Breviter igitur narranti rem ita narrare licuit, ut illic fecit Euripides. Eum vero sequutus est Pseudo-Demosthenes, l. l. Sed ut ad Apollodorum revertamur, *γενομένης μετὰ σφαγὴν τῆς μαχῆς*, inquit — et *σφαγὴν* quidem non solum de Chthonia sed etiam de ejus sorori-

(1) Haec nomina ubi accuratius consideres, vestigium deprehendas, quod sequutus Erechtheum Eumolpi victorem — cujus quidem filiae esse dicuntur — antiquitus eadem persona ac Terrigenam illum comprehensum fuisse cognoscas. Nam Chthonia quidem ut mortem sive regnum inferum, cui virgo devovetur, significari putes: maxime tamen, puto, αὐτοχθονία illa spectatur, qualis fuit Erichthonii. Protogeniae vero et Pandorae sive Primitiae et Omniparae nomina non multum a Cecropidarum virginum nominibus Arvali, Roriflua, Germina discrepare monuit Muellerus Min. Pol. p. 5. Utraque rem agrariam spectant, ut omnis de Erichthonio fabula. Proinde, puto, ut his Erichthonius sive Erechtheus Terrigena infans educandus commissus tradebatur, ita illae, quae jam alteri Erechtheo assignantur, ejusdem Terrigenae filiae olim habitae sunt.

(2) Praef. in Jon. p. XXXIII.

(3) l. l. II. p. 722.

bus intelligendum esse ex enunciatione antecedenti facile cognoscas — Erechtheus interfecit Eumolpum. Quamquam et de hac re differunt. Nam Pausanias (1) narrat, idque *τοὺς Ἀθηναίους, ὅσοι τὰ ἀρχαῖα ἴσασι*, sequutus, non Eumolpum sed Immaradum filium ab Erechtheo esse interfectum: illum vero quum Eleusinii se suaque omnia solis mysteriis sibi reservatis in Atheniensium potestatem tradiderint, sacerdotium apud eos retinuisse, et fato defunctum Eleusine sepultum esse. Atque ipse quidem ejus vidit sepulcrum. Sed Euripidem rem ita instituisse minime crediderim. Nam id parum convenit laudibus Atticis. Ac quamvis nec Lycurgus nec Demaratus nec Plutarchus accuratius quid referant, idem tamen, atque Apollodorus, eum retulisse conjecerim. Pausanias autem et ipsum Erechtheum pugna occisum esse auctor est. Aliter Apollodorus. Is Neptunum et Erechtheum et ejus familiam evertisse narrat. Videlicet, puto, tum Eumolpo filio caeso, tum quod Minerva iterum Atticam tenuerit, iratum. Videtur autem hoc aliquanto post factum esse tradere. Neque enim uno tenore illius belli narrationi adjungit, sed novum inde ordinem incipit. *Ποσειδῶνος δὲ*, inquit, *καὶ τὸν Ἐρεχθέα καὶ τὴν οἰκίαν αὐτοῦ καταλύσαντος, Κέκροψ ἐβασίλευσεν.* Quo modo Neptunus eum perdiderit, discrepant Euripides et Hyginus. Nam apud illum Creusa Joni quaerenti (1)

πατέρα δ' ἀληθῶς χάσμα σὸν κρύπτει χθονός;

respondet

πληγαὶ τριαίνης Ποντίου σφ' ἀπώλεσαν.

(1) I, 27, 38.

(2) Jon v. 291, 2.

Simili igitur, atque ea qua Amphiaraus fertur, ratione interiisse narrat. Neque vero Euripides id statim post pugnam, sed aliquanto post factum voluit. Quum enim Creusam dicentem faciat, ita tantum sororum sortem sese effugisse, quod

βρέφος νεογνὸν μητρὸς ἦν ἐν ἀγκάλαις,

eandem in eadem fabula vivo patre ab Apolline vim passam esse narrat (1). Proinde igitur, puto, id quod volumus statuendum est, nisi vero velis poetam, ceteroquin illum quidem de tragoediarum, quibus unum idemque argumentum tractat, inter se congruentia parum attentum etiam in una eademque tragoedia gravissime sibi contradicere. Hyginus contra Neptuni rogatu a Jove fulmine ictum esse tradit. Idem autem totam fabulam pervertit, quum Eumolpo demum caeso Neptunum unam e filiabus immolandam expostulasse, eaque immolata sorores mortem sibi conscivisse narrat. Id autem aliunde repetitum, ab Euripidis contra tragoedia nostra alienum esse vel ex Lycurgo cognoscas. Mortuo autem Erechtheo Cecropem, filium natu maximum, successisse tradit Apollodorus. Ac de Cecrope quidem altero quum supra monuerimus: hic obiter afferre juvat, quod alii Xutho demum arbitro eum regnum tenuisse (2), alii vero Jonem, Xuthi filium (3), noster autem Jone ipsum Xuthum (4) summa rerum potitos esse tradunt. Nam de hac quidem re infra demum accuratius agendum erit. Sed ad finem hujus jejunae sane expositionis properemus. Quum au-

(1) Cf. inter se Jon. v. 290 et v. 14.
(2) Pausan. VII. in.
(3) Cf. Meursius de regibus Atticis pag. 119.
(4) Cf. v. 689, 90. σκῆπτρον πατρός· v. 1480 — 2, alia.

tem de Erechthei sacris supra viderimus, nec non unam e tribubus Atticis ab eo tanquam heroe indigena nomen traxisse memoraverimus: restat, ut de filiarum cultu brevi exponamus. Jam vero Athenienses colebant insigni nomine Παρθένους appellatas (1), idque narrante Philochoro (2), νηφαλίοις. Juxta vero venerabantur Hyacinthidas, quas cum Psendo-Demosthenes easdem esse dicat ac noster Παρθένους, idque alii ita explicent, ut in pago Hyacintho (3) caesas dicant, Apollodorus Minoe oppugnante Athenas immolatas esse refert (4). Sic et Leocoras sive Lei filias, et ipsas pro patria mortuas, divinis honoribus prosequebantur. Nam prope Λεωκόρειον quidem Hipparchum interfectum esse tradit Thucydides (5). Jam vero Theon (6) narrat, Euripidem in Erechtheo nostro virgines illas in Hyadas mutatas fecisse. Id, quod de suo finxisse poetam dixeris. Nam ceteroquin nihil de tali fabula constat. Quam diversas vero de Hyadibus fabulas commenti sint, cognoscas ex Pherecydis fragmentis (7). Ac de mytho quidem, quem celebravit Euripides, haec hactenus.

Hanc igitur narrationem, ex antiquissima patriae memoria repetitam, tractavit noster, ἡγούμενος, ut iterum Lycurgi verba apponam, κάλλιστον ἂν γενέσθαι τοῖς πολίταις παράδειγμα τὰς ἐκείνων πράξεις, πρὸς ἃς ἀποβλέπον-

(1) Suidas s. v. παρθένοι.
(2) Schol. in Oed. Colon. 101.
(3) vide Suidam l. l.
(4) Apollod. III, 15, 8.
(5) VI, 57.
(6) Matthiae l. l. p. 162.
(7) Pherecydis fragmenta ed. Sturz. p. 115.

τας καὶ θεωροῦντας συνεθίζεσθαι ταῖς ψυχαῖς τὸ τὴν πατρίδα φιλεῖν. Ac sane quidem hanc in rem vix aptiorem invenias. Namque hic antiqua illa *αὐτοχθονίας* laus, quae quidem Athenienses omni tempore ad patriae libertatisque amorem incendit, in clarissima luce collocari potuit, germanae stirpis cum barbara certamen quum caneretur. Quid, quod poetam etiam altius evectum esse ac Neptuni cum Minerva certamen velut hoc certamine iteratum iterumque victricem Minervam ante oculos habuisse dixeris! Qnamquam hoc infra accuratius videamus.

Jam vero quam diversas rationes inire potuerit poeta, supra vidimus. Quam re vera sequutus sit, videndum est. Id quoque inchoavimus, quinam e scriptoribus illis sua ex Euripide hausisse videantur, definire conati. Sed inchoatam reliquimus quaestionem. Accuratius ut rem exploremus, ipsa fragmenta sunt adeunda, quaenam in iis insit sententia, a qua persona edita, quo fere loco collocata esse videantur: quaerendum est. Eam autem in rem plurimum invat Euripideae in ceteris fabulis rationis diligens comparatio. In qua quidem re plurimam et ipse operam consumsi. Sed ingenue fateor, quantumvis proprio Marte in singulis elaboraverim, me nunquam tamen tragoediam nostram e disjectis fragminibus restituendam in animum inducturum fuisse, nisi Welckerus, et mihi olim praeceptor dilectissimus, in libro illo egregio, quo tragicos Graecos epici cycli ratione habita tractavit (1), viam munivisset. Itaque optime, puto, res instituetur, si, quam ipse conjecit ejus fuisse rationem, sequuti vel confirmemus atque illustremus, vel si quid ali-

(1) l. l, p. 717 — 25.

ter constitui posse aut adeo debere videatur, emendare conemur, postremo si quid praeterea notandum habeamus, deinceps adjiciamus. Ceteroquin notaverim, me de numero iusigniendis fragmentis Matthiaeum sequi (1). Sed jam rem ipsam aggrediamur.

Ac primum quidem Welckerus facit Erechtheum prologum habentem eoque quid belli incubuerit, quale responsum tulerit, narrantem. Recte quidem. Nam quum poeta noster in more habeat, exordio personam aliquam, quis rerum sit status, exponentem inducere: tum nemini nisi Erechtheo id munus assignasse videtur. Nam a responso huic dato exordiundum fuisse facile cognoscas. Medias autem in res ducimur, quum cogitamus regem recens ab oraculo Athenas reversum — namque ipsum Delphos profectum esse narrant Lycurgus et Demaratus — quid ipsi imperatum sit, quo bello prematur, apud se considerantem. Eumolpi vero res narasse putat, itaque ei tribuit fragm. XXI.

Αἰθιοπίαν νιν ἐξέσωσας εἰς χθόνα

Nam ita quidem *ἐπὶ* in *εἰς* mutato metrum bene restituit Matthiaeus. Nimirum Neptunum Erechtheus alloquitur, quem quidem Apollodorus Eumolpum a Chiona in mare conjectum in Aethiopiam detulisse narrat. Unde coniicias, Erechtheum et cetera Eumolpi fata eodem fere modo ac mythographum nostrum enarrasse. Jam a quo Neptunus compellari potuerit, se non exputare dicit Matthiaeus. Est autem re vera paullo impeditius. Quod si

(1) Eurip. tom. IX. 161 — 177. Quum Matthiaeus locos scriptorum, unde concinnavit fragmenta, notaverit: id repetere ego supersedi.

de Thrace aliquo, Ismaro, si placet — quamquam hunc jam antea mortuum esse Apollodorus tradit — cogites, qui Neptunum, opem filio ferat, precatus sit: haud facile explices, qui Thrax aliquis in scenam prodierit. Quamquam et hoc admitti posse infra ostendemus. Sin vero uni ex Atheniensibus ac potissimum quidem Erechtheo tribuas: et hoc difficilius videtur. Nam Neptunus quidem ejus hostis habebatur, tum ob pristinum cum Minerva certamen, tum quod Eumolpus filius ipsius erat. Atque hunc quidem — id quod supra memoravimus — venisse dicit Isocrates *φάσκοντα Ποσειδῶ πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν τὴν Ἀττικήν.* Erechthei hostem autem et noster inducit, ubi — id, quod apparet ex hoc loco — Eumolpo patrem tribuit. Ita vero vix exputes, qui Deum inimicum compellaverit. Inde autem ita sese res habuerit. Neptunum Erechtheus compellat, scire se, quid valeat Eumolpus, illum enim eum genuisse, servasse, regno donasse jamque ut Atticam recuperet, instigasse. Sed jam se precari ne nimium ipsi irascatur. Quid, quod mortem a Neptuno imminentem praesagire dicas! Sed hoc infra. Aut — id quod probabilius videtur — non tam Neptuni iram deprecatur, quam ut Eumolpum Neptuno, ita se Minerva confisum esse dicit. Quam in rem compares, quod in Heraclidis v. 348 sqq. Jolaus

θεοῖσι δ', inquit, *οὐ κακίοσι*
χρώμεσθα συμμάχοισιν Ἀργείων, ἄναξ·
τῶν μὲν γὰρ Ἥρα προστατεῖ Διὸς δάμαρ,
ἡμῶν δ' Ἀθηνᾶ· φημὶ δ' εἰς εὐπραξίαν
καὶ τοῦθ' ὑπάρχειν, θεῶν ἀμεινόνων τυχεῖν·
νικωμένη γὰρ Παλλὰς οὐκ ἀνέξεται.

Fortassis autem et infra in Praxitheae oratione tale quid deprehendemus.

Sed ut ad Welckerum redeamus, ex eo, quem modo tractavimus, loco colligit, Eumolpi res Erechtheum narrasse, itaque et de populo Thracio dixisse. Jam vero hic duo collocat fragmenta, Dodonam spectantia. Quorum quidem altero (fr. I.)

εὗδουσ' ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ,
πηγαῖσι δ' οὐχ ὑδραίνουσιν πόδας —

sive, ut evitemus spondeum in sede pari positum, quem equidem et apud Euripidem nusquam me reperire memini

ἐν ἀστρώτῳ πέδῳ
εὕδουσι, πηγαῖς δ' οὐχ ὑδραίνουσιν πόδας·

uti scripsit Musgravius, Selli memorantur, sacerdotes Dodonaei, qui teste Homero *ἐν Δωδώνῃ δυσχειμέρῳ* Jovi Pelasgico *ναίουσ' ὑποφῆται ἀνιπτόποδες, χαμαιεῦναι* (1). De quibus plura dabit Valckenaer in diatriba in Euripidis perditorum dramatum reliquias p. 170. 171. Alterum vero vocabulis *μίασμα δρυός* continetur, idque est *αἰνιττόμενον τὸ Θηβαῖον παρανόμημα εἰς τὸ ἐν Δωδώνῃ μαντεῖον· ἠσέβησαν γὰρ εἰς τὴν ἱέρειαν εἰσβαλόντες αὐτὴν εἰς τὸν ἐν Δωδώνῃ λέβητα ζέοντα ἐρωτικῶς διατεθεῖσαν εἰς ἕνα τῶν θεωρῶν.* Nam haec verba ex Append. Vatic. II. 67. p. 292 transscripsit Matthiaeus. Huic autem rei plurimam lucem affundit Ephori narratio, quae nobis Strabonis Boeotica transcursu perlustrantibus sub oculos cecidit (2). Narrat enim Boeotos olim a Thracibus et Pe-

---

(1) Il. 16, 233 — 35.

(2) Strabo lib. IV, cap. II. v. i. sive secundum edit. Tauchnitzianam — nam alia nobis non praesto est — tom II, p. 249, 50. Tractat hanc narrationem Muell. Orchom. 385, 6.

lasgis patria expulsos in Thessaliam commigrasse, ibique longum demum tempus commoratos una cum Aeolibus in Boeotiam rediisse hostesque illos pepulisse. Jam dum hoc bellum geratur, Pelasgos oraculum consultum Dodonam profectos esse, item vero Boeotos. Ac quod illi responsum tulerint, se nescire dicit. *τοῖς δὲ Βοιωτοῖς ἀνελεῖν τὴν πρυφῆτιν, ἀσεβήσαντας εὖ πράξειν· τοὺς δὲ θεωροὺς ὑπονοήσαντας χαριζομένην τοῖς Πελασγοῖς τὴν προφῆτιν διὰ τὸ συγγενὲς (ἐπεὶ καὶ τὸ ἱερὸν Πελασγικὸν ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρξεν) οὕτως ἀνελεῖν, ἁρπάσαντας τὴν ἄνθρωπον εἰς πυρὰν ἐμβαλεῖν· ἐνθυμηθέντας, εἴτε κακουργήσασαν, εἴτε μὴ, πρὸς ἀμφότερα ὀρθῶς ἔχειν· εἰ μὲν παρεχρηστηρίασε, κολασθείσης αὐτῆς, εἰ δ' οὐδὲν ἐκακούργησε, τὸ προσταχθὲν αὐτῶν πραξάντων.* Jam judicio habito Boeotos morte quidem liberatos esse narrat, jussos tamen, quotannis quotquot apud ipsos sint tripodes, Dodonam mittere. Quod quidem eos adhuc facere perhibet. Ex eo autem tempore solum Boeotis Dodonae non feminas, sed mares vaticinari. Vides igitur hoc *μίασμα δρυός* — quam quidem appellationem facili negotio ex Odyss. 19, 297 explices — tum antiqua traditione propagatum, duplicique instituto confirmatum fuisse, tum vero eadem aetate perobscura, qua Eumolpum Atticam invasisse tradunt, factum perhiberi. Quamquam enim Strabo dudum post Epigonorum expeditionem accidisse narrat, itaque infra Thesei atque adeo Erechthei memoriam: tamen in aetate mythica tam accuratam temporum computationem cur institueret, poeta non habuit. Eo magis autem Erechtheum id memorantem inducere licuit, quod bello factum tradebatur, quod praeter Pelasgos Thraces cum Boeotis gesserunt. Ac de locis ipsis haec hactenus. Jam vero putat Welckerus regem, dum quas regiones Thraces teneant, fere enumeret, et haec commemorasse. Neque vero est improbabile. Nemo enim, puto, a poeta subtilitatem requirat geographicam, sed eo magis Dodonam quoque in locis Thraciis enumerari patiatur, quo magis Thraces olim longe lateque diffusos habitasse narrant. Quamquam quum Dodonae Jovis fuisse tradatur oraculum, atque ipsos quidem sacerdotes memoret poeta: et aliter rem accipere posse videaris. Equidem Euripidem non Apollinem Delphicum, sed Jovem Dodonaeum ab Erechtheo fecisse consultum et ipse conjeci et Matthiaeum idem conjecisse postea vidi. Jam vero Welckerus monet, hoc tum a fabulis Atticis alienum esse, tum vero, si Dei responsum referatur, *δρυὸς μιάσματος*, rei singularis commemorationem parum congruere. Sed injuria, puto. Nam primum quidem licet oraculo Dodonaeo maxime Aetolos, Acarnanes, Epirotas uti solere tradat Pausanias (1): idem contra auctor est Aphidante Athenis regnante — eum autem Theseo inferiorem ferunt — Atheniensibus inde responsum redditum esse. Neque igitur omnis cum Atheniensi civitate communionis expers habebatur. Quo minus autem Dodona ab Atheniensibus frequentabatur, quo longinquius aberat in terra barbara sita: eo convenientius erat, ut rex si eo se consultum misisse diceret, singularia quaedam ea de regione adderet. Namque Sellos quidem et quercum per se et propter se memorare debuit, velut Hercules in Trachiniis v. 1066 sqq.

---

(1) Pausan VII, 21, 2. alter locus ib. c. 25 in.

lasgis patria expulsos in Thessaliam commigrasse, ibique longum demum tempus commoratos una cum Aeolibus in Boeotiam rediisse hostesque illos pepulisse. Jam dum hoc bellum geratur, Pelasgos oraculum consultum Dodonam profectos esse, item vero Boeotos. Ac quod illi responsum tulerint, se nescire dicit. *τοῖς δὲ Βοιωτοῖς ἀνελεῖν τὴν προφῆτιν, ἀσεβήσαντας εὖ πράξειν· τοὺς δὲ θεωροὺς ὑπονοήσαντας χαριζομένην τοῖς Πελασγοῖς τὴν προφῆτιν διὰ τὸ συγγενὲς (ἐπεὶ καὶ τὸ ἱερὸν Πελασγικὸν ἐξ ἀρχῆς ὑπῆρξεν) οὕτως ἀνελεῖν, ἁρπάσαντας τὴν ἄνθρωπον εἰς πυρὰν ἐμβαλεῖν ἐνθυμηθέντας, εἴτε κακουργήσασαν, εἴτε μὴ, πρὸς ἀμφότερα ὀρθῶς ἔχειν· εἰ μὲν παρεχρηστηρίασε, κολασθείσης αὐτῆς, εἰ δ' οὐδὲν ἐκακούργησε, τὸ προσταχθὲν αὐτῶν πραξάντων.* Jam judicio habito Boeotos morte quidem liberatos esse narrat, jussos tamen, quotannis quotquot apud ipsos sint tripodes, Dodonam mittere. Quod quidem eos adhuc facere perhibet. Ex eo autem tempore solum Boeotis Dodonae non feminas, sed mares vaticinari. Vides igitur hoc *μίασμα δρυός* — quam quidem appellationem facili negotio ex Odyss. 19, 297 explices — tum antiqua traditione propagatum, duplicique instituto confirmatum fuisse, tum vero eadem aetate perobscura, qua Eumolpum Atticam invasisse tradunt, factum perhiberi. Quamquam enim Strabo dudum post Epigonorum expeditionem accidisse narrat, itaque infra Thesei atque adeo Erechthei memoriam: tamen in aetate mythica tam accuratam temporum computationem cur institueret, poeta non habuit. Eo magis autem Erechtheum id memorantem inducere licuit, quod bello factum tradebatur, quod praeter Pelasgos Thraces cum Boeotis gesserunt. Ac de locis ipsis haec hactenus. Jam vero putat Welckerus regem, dum quas regiones Thraces teneant, fere enumeret, et haec commemorasse. Neque vero est improbabile. Nemo enim, puto, a poeta subtilitatem requirat geographicam, sed eo magis Dodonam quoque in locis Thraciis enumerari patiatur, quo magis Thraces olim longe lateque diffusos habitasse narrant. Quamquam quum Dodonae Jovis fuisse tradatur oraculum, atque ipsos quidem sacerdotes memoret poeta: et aliter rem accipere posse videaris. Equidem Euripidem non Apollinem Delphicum, sed Jovem Dodonaeum ab Erechtheo fecisse consultum et ipse conjeci et Matthiaeum idem conjecisse postea vidi. Jam vero Welckerus monet, hoc tum a fabulis Atticis alienum esse, tum vero, si Dei responsum referatur, *δρυὸς μιάσματος*, rei singularis commemorationem parum congruere. Sed injuria, puto. Nam primum quidem licet oraculo Dodonaeo maxime Aetolos, Acarnanes, Epirotas uti solere tradat Pausanias (1): idem contra auctor est Aphidante Athenis regnante — eum autem Theseo inferiorem ferunt — Atheniensibus inde responsum redditum esse. Neque igitur omnis cum Atheniensi civitate communionis expers habebatur. Quo minus autem Dodona ab Atheniensibus frequentabatur, quo longinquius aberat in terra barbara sita: eo convenientius erat, ut rex si eo se consultum misisse diceret, singularia quaedam ea de regione adderet. Namque Sellos quidem et quercum per se et propter se memorare debuit, velut Hercules in Trachiniis v. 1066 sqq.

(1) Pausan VII, 21, 2. alter locus ib. c. 25 in.

ἃ τῶν ὀρείων καὶ χαμαικοίτων ἐγὼ
Σελλῶν εἰσελθὼν ἄλσος εἰσεγραψάμην
πρὸς τῆς πατρῴας καὶ πολυγλώσσου δρυός.

Quidni igitur et *μίασμα δρυὸς* memoraverit, praesertim quum qua occasione factum sit, cogites? Sed aliud quid est, quod hanc rationem dissuadeat. Dictum puta, quod et Lycurgus et Demaratus Delphos regem ipsum profectum esse narrant. Qua de re Welckeri sententiam potius amplectar. Quamquam si quis quem modo excitavimus Strabonis locum accuratius consideret, in suspicionem adduci possit, narrasse Erechtheum Thraces e Boeotia pulsos jam Atticam ingredi, atque eorum cum Boeotis bellum dum referat, et oraculi Dodonaei ab his consulti et laesi breviter mentionem fecisse. Sed de hoc hactenus.

Jam vero Sellos, austerae vitae homines commemoratos esse si consideres: perquam arridebit, quod Dindorfius (1) comparatis inter se Eustathio et alio quodam grammatico versum ab illo Aristophanis Erechtheo, fabulae prorsus incognitae, tributum

τοὐνθένδ' ἀπίχθυς βαρβάρους οἰκεῖν δοκῶ

tum in nostra infuisse, tum vero de iisdem barbaris ac de quibus modo diximus dictum esse conjecit. Quamquam, etiamsi non de Sellis dictum sit, tamen in hac ipsa fabula fuisse satis firmo, puto, nititur argumento, atque in prologo quidem locum habuisse inde conjicias, quod ejus est, qui, quid de terra barbara parumque cognita fando acceperit, narrat. Id, quod Erechtheo prologum habenti perquam convenire modo vidimus. Jam

(1) Fragmenta Aristophan. p. 8. laudat eum Welckerus.

vero nonnihil negotii facessunt barbari, qui piscibus non vescuntur. Ita enim *ἀπίχθυς βαρβάρους* interpreteris, velut *ἀπόσιτος*. Equidem solum novi *Ἰχθυοφάγους*, sinus Persici accolas (1). Conjectura igitur rem assequi conemur. Ac primum quidem Sellos, Jovis Dodonaei sacerdotes, horridam et austeram vitam degisse noster tradit. Jam vero in tali austeritate haud raro id quoque deprehendas, quod animalibus vescendis abstinent. Velut noster in Cretensibus Jovis Idaei sacerdotes, Curetes dictos, tum alia, tum et hoc de se praedicantes inducit (2): — *τήν τ' ἐμψύχων*
βρῶσιν ἐδεστῶν πεφύλαγμαι·

Idem Orphicorum mos fuit. Id quod cognoscas ex Hippol. 955, ubi Theseus ita filium alloquitur:

ἤδη νῦν αὔχει καὶ δι' ἀψύχου βορᾶς
σίτοις καπήλευ', Ὀρφέα τ' ἄνακτ' ἔχων
βάκχευε·

Jam vero in *ἐμψύχων* numero pisces quoque habebantur. Quod quidem diserte memorant comici, quum Pythagoreorum ut *ἀλουσίαν*, ita *ἀσιτίαν* derident. Ita apud Athenaeum IV. p. 161 Alexis in Tarentinis (3):

οἱ Πυθαγορίζοντες γάρ, ὡς ἀκούομεν,
οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἓν
ἔμψυχον.

ὄψον autem pisces maxime significare constat.

Sed etiam apertius idem in Atthide: ib. IX. 386.

(1) Herod. III, 19 sqq.
(2) Matthiae l. l. p. 135.
(3) Debeo hos locos Valckenaerio ad Hippol. l. l.

ὁ πρῶτος εἰπών, ὅτι σοφιστὴς οὐδὲ εἷς
ἔμψυχον οὐδὲν ἐσθίει, σοφός τις ἦν·
ἐγὼ γὰρ ἥκω νῦν ἀγοράσας οὐδὲ ἓν
ἔμψυχον· ἰχθῦς ἐπριάμην τεθνηκότας
μεγάλους· κρεάδι᾽ ἀρνὸς ἔσθειν πίονος
οὐ ζῶντος e. q. s.

Postremo Antiphanes in Pythagoreis:

τί πρὸς θεῶν οἰόμεθα τοὺς πάλαι ποτὲ
Πυθαγοριστὰς γενομένους ὄντως ῥυπᾶν
ἑκόντας, ἢ φέρειν τριβῶνας ἡδέως;
οὐκ ἔστι τούτων οὐδέν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ,
ἀλλ᾽ ἐξ ἀνάγκης οὐκ ἔχοντες οὐδὲ ἓν
τῆς εὐτελείας πρόφασιν εὑρόντες καλὴν
ὅρους ἔπηξαν τοῖς πένησι χρησίμους.
ἐπεὶ σύ παράθες αὐτοῖς ἰχθῦς ἢ κρέας,
κἂν μὴ κατεσθίωσι καὶ τοὺς δακτύλους,
ἐθέλω κρέμασθαι δεκάκις.

Quid igitur, quod vel Sellos ipsos vel vicinos barbaros animalibus abstinuisse itaque *ἀπίχθυς* vocatos conjiciamus? Sed omnem fere dubitationem tollit Strabo (1). Is apud Getas dicit *ἰσχύειν τὴν περὶ τὸ θεῖον σπουδήν*, ac maxime quidem *τὸ ἐμψύχων ἀπέχεσθαι δι᾽ εὐσέβειαν*. Zamolxim enim, quum servus Pythagorae fuerit, complura ab eo didicisse et in patriam reversum tum alia tum hoc instituisse. Atque ipsius quidem memoria Pythagoreum hoc institutum apud eos florere asseverat. Getas autem fortissimos ac justissimos e Thracibus Herodotus esse narrat (2). Proinde igitur, nisi vero quis de Sellis ipsis

(1) Strabo lib. VII, cap. III, sive ed. Tauchn. tom. II, p. 75, 76.

(2) IV, 93.

accipere malit — id, quod parum firmatum est, — versu nostro Getas spectari putaverim. Breviter autem ut, quae disputavimus, complectamur: videtur Erechtheus exorsus a compellando Neptuno Eumolpi res narrasse, inter haec autem Thraciam fere descripsisse itaque Getarum mentionem injecisse, ibidem autem de Boeotia ab iis infestata deque oraculo Dodonaeo a Boeotis violato dixisse. Quamquam haec et ad Thraciae descriptionem referre possis. Diversis enim sanequam opinionibus in tali re locus est.

Jam vero, pergit Welckerus, rex responso narrato — id autem quale fuerit, accuratius supra vidimus — confestim immolandae virginis consilium declaravit. Ac recte quidem. Nam in eo rerum versari cardinem, quod nulla dubitatione filiam devovit, tum ex enarratione fabulae nostra, tum autem, quod bene notat vir sagacissimus, inde cognoscas, quod infra Praxithea:

τὰς χάριτας, inquit, *ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται,*
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μέν,
χρόνῳ δὲ δρῶσι, δρῶσι δυσγενέστερον.

Satis autem spatii consilio statim ab Erechtheo capto relictum esse monet, in quo versetur tragoedia. Jam tria huc refert fragmenta, XXII, XI, VIII.

φιλῶ τέκν᾽ ἀλλὰ πατρίδ᾽ ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.

ἐγὼ δὲ τοὺς καλῶς τεθνηκότας
ζῆν φημὶ μᾶλλον τοῦ βλέπειν τοὺς μὴ καλῶς.

μισῶ δ᾽ ὅταν τις καὶ χθονὸς στρατηλάτης
μὴ πᾶσι πάντων προσφέρῃ μειλίγματα.

Neque vero ullum ab Erechtheo alienum dixeris. Quamquam si compares, quod Lycurgus *φύσει γάρ*, inquit, *οὐσῶν φιλοτέκνων πασῶν τῶν γυναικῶν ταύτην ἐποίησε*

τὴν πατρίδα μᾶλλον τῶν παίδων φιλοῦσαν, induci possis, ut primum Praxitheae tribuas. Ita enim Lycurgus, licet re vera longam illam atque egregiam ejus orationem, ab ipso modo recitatam, in animo habeat, tamen et alius ejus dicti memor his ipsis verbis utatur. Sed hoc in medio relinquamus. Jam de altero ut dicam, sine causa idonea a Grotio (1) τοῦ βλέποντος scriptum esse puto. Licet enim codicum scriptura paullo durior sit, tamen per grammaticae leges stare potest, neque vero intelligas, qui factum sit, ut si Grotii scriptura archetypa fuerit, in nostram longe difficiliorem sit commutata. Jam vero offendi possis, quod Erechtheum haec dicentem facit Welckerus. Nam ejus potius esse dixeris, qui vel ipse animo generoso patriae se devoveret, vel quem hortatur se devoveat. Si quis contra de quo tale quid apud se constituit, ab eo hoc dictum alienum esse videatur. Quamquam ubi nostram tragoediam accuratius persequaris: maximum momentum in eo positum esse reperias, quod ipsi parentes nulla mora filiam devoverint. Cujus rei testis est tota illa, quam mox tractabimus, Praxitheae oratio. Ex qua hic locum apponere juvat, nostri sententia similem:

μισῶ γυναῖκας, αἵτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παῖδας εἵλονθ᾽, αἳ παρήνεσαν κακά.
καὶ μὴν θανόντες γ᾽ ἐν μάχῃ πολλῶν μέτα
τύμβον τε κοινὸν ἔλαχον εὔκλειάν τ᾽ ἴσην.
τἠμῇ δὲ παιδὶ στέφανος εἷς μιᾷ μόνῃ
πόλεος θανούσῃ τῆσδ᾽ ὕπερ δοθήσεται.

Mater igitur, filiam immolandam tradere parata,

---

(1) Notatur a Matthiaeo.

quantam ea laudem sit consequutura, considerat. Similiter loco nostro patrem egisse cogites. Proinde ita demum, si virginem quoque tale quid edidisse videri comprobaveris, dictum nostrum ei assignes licet. Sed hoc infra videamus. De tertio dicto nihil est, quod notem. Regis esse dicit Erechtheus, quicunque casus quemcunque civem afflixerit, remedia afferre itaque et sibi communem in salutem filiam esse immolandam.

Finito prologo Welckerus chorum prodeuntem facit, eumque carmen, quod nobis servatum est, in ipsa παρόδῳ cantasse suspicatur. Neque vero injuria. Nihildum enim de regis consilio nosse videtur, sed non nisi fortem in patria defendenda animum profitetur. Ceterum nihil dialogi inter Erechthei orationem et parodum intercessisse puto. Quem enim cum Praxithea habuit, magis magisque progrediente tragoedia infra aptiorem locum tenere facile videas. Sed ipsum carmen videamus.

κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν
ἀράχναις, μετὰ δ᾽ ἡσυχίας πολιῷ
γήρᾳ συνοικοίην·
ἀείδοιμι δὲ στεφάνοις κάρα
πολιὸν στεφανώσας·
Θρηΐκιον πέλταν πρὸς Ἀθηνᾶς
περικίοσιν ἀγκρεμάσας θαλάμοις·
δέλτων δ᾽ ἀναπτύσσοιμι γῆρυν,
ἃν σοφοὶ κλέονται.

Jam primum quaerendum est, qualis chorus fuisse videatur. Ac Matthiaeus quidem haud dubie senum esse dicit, qui pacem sed non nisi parta victoria exoptent. In quo si animadvertisset, quod κείσθω μοι et ἀγκρεμάσας, inquit, ipsum ad pugnam committendam instructum esse

vidisset. Qua de re potius Welckerum sequutus statuas, licet non admodum juvenes sint, tamen nondum *πολιῷ γήρᾳ συνοικεῖν* sed aetate virili pollere. Optant enim, ut sua opera victoria parta securam quondam senectutem degant. Praeclare vero notat Welckerus, hac vivida belli depictione, hoc animo, quo cives omnes periculo sese objiciant, totam rem mirifice augeri. Ita enim virginis necem non tam victimae speciem prae se ferre, sed Erechtheum ita modo cives praestare, quod carius quid patriae in salutem impendat. Namque initio scriptionis notavimus, oratores Atticos victorias ab Eumolpo, Thebanis, Eurystheo reportatas tanquam communes universae civitatis laudes tractare, quid vero reges praestiterint, parum curiosos esse. Quam in rem observes, nostrum in Supplicibus Theseum id agentem inducere, ut non tam penes ipsum, quam universam civitatem et rerum summa sit et laus ex bello committendo redundatura. Cf. v. 351 sqq. 405 sqq. Nam hunc quidem ipsum imperio florentem summam rerum ad populum detulisse ferebant. Sed hoc in transcursu notasse sufficiat. Jam vero singula ut videamus, de exordio, quod primus recte constituit Valckenaerius, idem tamen tum in toto cantu Erechtheo assignando, tum in compluribus ea de causa mutandis mirifice falsus (1), de exordio, inquam, comparant Bacchylidem (2). Is quum, quid *Εἰράνα τίκτει*, enumerat, tum hoc habet:

(1) Diatriba in Euripidis deperd. Dramat. reliq. p. 168—70. Chori, non Erechthei cantum esse cognoscas ex Plutarchi Nicia cap. 9. ἡδέως μὲν ᾀδόντων τὰ τοιαῦτα χορῶν ἀκούοντες: κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀραχναῖς.

(2) Cf. Schneidewin. delect. poeseos Graecae p. 442.

ἐν δὲ σιδαροδέτοις πόρπαξιν αἰθᾶν
ἀραχνᾶν ἱστοὶ πέλονται·
ἔγχεα τε λογχωτὰ ξίφεα τ᾽ ἀμφάκε᾽ εὐρὼς δάμναται.

Jam quod debellatorum hostium parmas in Minervae templo se suspensurum esse dicit, nota veterum est consuetudo, jam Homeri memoria usitata. Videsis Il. 7, 81. 82. Videtur autem poeta *πέλτην* Thracibus tanquam propriam tribuere. Id quod sive ipse sive alius quis et in Rheso instituit v. 305. 311. 351. 456. ipse vero in Alcestide v. 509 Diomedem *ζαχρύσου Θρᾳκίας πέλτης ἄναξ* vocat. Quamquam accuratius Plutarchus in vita Aemil. Pauli c. 32. *Κρητικὰς πέλτας καὶ Θρᾴκια γέῤῥα* distinguit. Quod Matthiaeus *περὶ κίοσιν* scribit, parum aptum esse crediderim. Nam ita quidem *περὶ* nimium quantum distat a vocabulo, quo referatur, *θαλάμοις*, nec non *τὸ* „*πρὸς Ἀθηνᾶς θαλάμοις περὶ κίοσιν* abundantiae quid habet molestae. Sed recte Welckerus *περικίοσιν θαλάμοις*, ut *εὐκίονες αὐλαὶ* Jon 187 et *ναοὶ ἀμφικίονες* in Sophoclis Antigona v. 285. 6. Jam vero quum in ea, quam modo commemoravimus consuetudine, nihil ab aetate heroica discedat poeta, sequentibus tamen aliena infert, quibus chorus pacem celebrat tanquam *μούσαισι προσφιλεστάτην*, ut est Suppl. v. 491, pace sese carminibus legendis delectatum iri. Namque *σοφοὺς* poetas dici notum est. Videsis Pindari Olymp. I, 9. Tragoedias maxime dictas putat Welckerus, eamque in rem affert, quod Aristophanes (1) Dionysium narrantem inducit, inter navigationis otium Euripidis Andromedam sese legisse. Quamquam hoc ut statuas, non necesse videtur. Sed li-

(1) Ranae v. 52.

cet in universum modo de legendis carminibus cogites, *ἀναχρονισμὸν* facile cernas. Eum autem et alias admisit, sic in Iphigenia Aulidensi v. 804 sqq:

εἶτ' ἐν δελτοῖς Πιερίσι
μῦθοι τάδ' ἐς ἀνθρώπους
ἤνεγκαν παρὰ καιρὸν ἄλλως.

quem locum laudat Welckerus. Addas Hippol. 456 sqq.

ὅσοι μὲν οὖν γραφάς τε τῶν παλαιτέρων
ἔχουσιν, αὐτοί τ' εἰσὶν ἐν μούσαις ἀεί,
ἴσασι μὲν Ζεὺς ὥς ποτ' ἠράσθη γάμων
Σεμέλης· ἴσασι δ' ὡς ἀνήρπασέν ποτε
ἡ καλλιφεγγὴς Κέφαλον εἰς θεοὺς Ἕως.

Unde illustratur locus Jonis. (v. 281). Hic Jon Creusam interrogat, utrum Minerva Erichthonium infantem Cecropis filiabus tradiderit.

δίδωσι δ', inquit, *ὥσπερ ἐν γραφῇ νομίζεται;*

Sed quid hoc mirum in Euripide, qui vel quantum sapientiae sophisticae imbibisse videbatur, heroibus mythicis tribuere sustinuit?

Jam vero, pergit Welckerus, id maxime agebatur, ut mater libere consentiret, ne funesta discordia saluti ex victima redundaturae detrectaretur. Clytaemnestram aliquam induci minime licuit. Ea non nisi in eo fabularum cyclo locum habuit, quo dirae diras excipere videbantur. Nam hic quidem filiae caede Clytaemnestra praetextu utebatur, quo maritum interficeret. Hic alia res est. Consilium igitur cum uxore communicat Erechtheus. De qua re Plutarchi et Demarati verba supra laudata conferas. Atque illa quidem, ut Lycurgi verbis utar, praestitit *μεγαλοψυχίαν καὶ γενναιότητα ἀξίαν καὶ τῆς πόλεως καὶ τοῦ γενέσθαι Κηφισοῦ θυγατέρα.* Longam ille

ejus orationem recitat, hujus animi testem. Qua quidem eam maritum compellasse cognoscas ex v. 36

καὶ τὴν τεκοῦσαν καί σε, δύο θ' ὁμοσπόρω
σώσει.

Eam priusquam accuratius explicare aggrediar, breviter sententiarum decursum delineandum esse puto. Atque exordium quidem a sententia generali repetit, nulla mora esse conferenda, quae quis conferat beneficia. Hinc se filiam devovere breviter declarat. Jam quibus rationibus commota sit, persequitur. Primam autem ponit civitatis Atheniensis praestantiam. Eam enim Aboriginum esse, ceteras contra adventicias. Dein quid ipsi debeant tum patriae tum sacris patriis, explicat. Atque initio quidem in universum dicit, ad Deorum aras adque patriam tuendas sese gignere liberos. Tum primum de patria agit. Civitas quum complures cives comprehendat, saluti communi sanequam unius vitam esse devovendam. Atque accuratius quidem, qualis sit victimae conditio, exponit. Quod si filiis gauderet puberibus, sanequam patriam ad defendendam in pugnam se missuram esse, neque vero, id quod facere soleant mulierculae, flendo, ejulando detenturam. Quidni filiam igitur immolet? Namque illis quidem, ubi pro patria occubuerint, laudem cum ceteris, qui ceciderint, communem, huic contra unicam fore. Proinde filiam, non nisi partu sibi propriam, se devovere iterum declarat; namque civitate perdita nihil juvare liberos, neque igitur id se acturam esse, ut sibi quidem suis integris servatis civitatem barbari occupent. Hactenus de patria. Tum demum de sacris, utpote re longe gravissima. Nunquam se commissuram, ut quis sacra

patria evertat, utque Eumolpus Minervae cultu disturbato Neptuno Atticam consecret. Cives igitur, filiam immolent, hortatur. Tandem vero, postquam oratione longa generosissimum animum prodidit: utinam omnes sui sint similes, optat, ita enim patriam salvam fore. Magnanimi quid sanequam spirat haec oratio, quale raro apud Euripidem invenias, saepius illum quidem parum *σπουδαίους* introducentem. neque vero quidquam fastidiosa ejus mollitie aut dialectica sophistica est inquinata. Sed jam accuratius eam videamus.

Initio igitur, id quod saepe fit, generalem Praxithea sententiam ponit, quae quis conferat beneficia — nam id sonant *αἱ χάριτες* — nulla dubitatione esse conferenda.

τὰς χάριτας ὅστις εὐγενῶς χαρίζεται,
ἥδιον ἐν βροτοῖσιν· οἳ δὲ δρῶσι μὲν,
χρόνῳ δὲ δρῶσι, δρῶσι δυσγενέστερον.

Nam ita quidem hoc versus editos esse crediderim. Quod si quis comparativo *ἥδιον* offensus *ἥδιστον*, veteres editiones post habitis codicibus sequutus, reponere malit: quidni, quaeso, *δυσγενέστερον* de suo in *δυσγενέστατον* immutet? Comparativum bene Pinzgerus (1) explicat. Idem versum extremum, quem codices mancum exhibent, immisso *δρῶσι* restituisse videtur. Nam id quidem facillime omitti potuit. Possis autem in hac sententia concinnitatem desiderare. Duo enim membra quum inter se sint opposita, in altero non *χρόνῳ* — *δυσγενέστερον*, sed

---

(1) In editione Lycurgi, quae 1824 Lipsiae prodiit. p. 227. Vertit carmen nostrum p. 129 sqq., explicavit p. 227 sqq. Hoc semel notasse sufficiat, ne plus semel paginas quas excito margini subjici necesse sit. Apud eundem itemque Maetznerum omnes codicum discrepantias et virorum doctorum conjecturas invenias.

δυσγενῶς — *λυπηρότερον* exspectes, quo respondeat priori *εὐγενῶς* — *ἥδιον*. At non ita metiuntur poetae. Ac videtur potius secundo membro *δι᾽ ἀντιθέσεως*, cujus sit *εὐγενῶς χαρίζεσθαι*, explicare, ejus nimirum, qui non cunctanter beneficia conferat. Jam vero statim a generali sententia ad ipsius transit consilium, idque verbis brevissimis, simplicissimis, itaque rei gravitati aptissimis tanquam *θέμα* ponit, quod sequentibus uberius persequatur:

ἐγὼ δὲ δώσω τὴν ἐμὴν παῖδα κτανεῖν.

Jam cur id apud se constituat, explicat, ac primo quidem loco patriae virtutem ponit:

λογίζομαι δὲ πολλά· πρῶτα μὲν πόλιν
οὐκ ἂν τιν᾽ ἄλλην τῆςδε βελτίω λαβεῖν·

Jam copiosius ejus laudes persequitur, ac complures quidem enumeratura — nam hoc inest in sequenti *πρῶτα* — principem collocat *αὐτοχθονίαν* illam, in qua quidem ita commoratur, ut ceterarum, quas in animo habet, obliviscatur. Principem autem collocat laudatorum Atticorum more, de quo supra diximus, eamque et a tragicis celebratam, velut Jon. v. 602 Athenienses, ut hic *λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν*, ita *οὐκ ἐπείσακτον γένος* audiunt. Sed verba ipsa apponam:

ᾗ πρῶτα μὲν λεὼς οὐκ ἐπακτὸς ἄλλοθεν·
αὐτόχθονες δ᾽ ἔφυμεν.

De scriptura *ᾗ* videsis Pinzgerum. Qui tamen quod *ἔφυμεν* et ad prius membrum refert, parum apte facere videtur. Nam *ἔφυμεν* non idem est atque *ἐσμέν*, sed proprium est Aboriginum. Sic infra *τὰ φύντα* e contrario poni *θετοῖς παισὶ* videbimus, De priore membro igitur potius *ἐστὶ* subaudias. Jam Atheniensium laudes auget

comparatione cum ceterarum civitatium originibus instituta.

αἱ δ' ἄλλαι πόλεις, inquit,
πεσσῶν ὁμοίαις διαφοραῖς ἐκτισμέναι,
ἄλλαι παρ' ἄλλων εἰσὶν εἰσαγώγιμοι.

sive, ut Maetzneri (1) verbis utar, reliquae civitates «casibus conditae similibus calculorum transpositionibus nulla ordinis specie servata huc illuc datorum» aliae ab aliis sunt deductae. Jungas *διαφοραῖς ὁμοίαις διαφοραῖς πεσσῶν*, velut est apud Homerum *κρείσσων δ' αὖτε Διὸς γενεὴ Ποταμοῖο τέτυκται.* Quamquam si compares, quod idem *κόμαι*, ait, *Χαρίτεσσιν ὁμοῖαι* (2): *πεσσοῖς* exspectaveris. *εἰσαγώγιμοι* idem significare atque *εἰσακτοὶ* collato Lycurgi dicto *ἐξαγώγιμον τὴν βοήθειαν ἐποίησε* comprobant. Conferas autem vocabuli *θανάσιμος* usum apud Sophoclem. Sic in Ajace v. 516, 7 (3) — *μοῖρα*
καθεῖλεν Ἅιδου θανασίμους οἰκητόρας.

et in Oedipo Rege v. 959
εὖ ἴσθ' ἐκεῖνον θανάσιμον βεβηκότα.

Sic et Oed. Col. v. 27 et 28 *ἐξοικήσιμος* et *οἰκητός* sibi respondent. Atque in hunc quidem modum Euripidis verba refert Lycurgus. Jam vero et Plutarchus II. p. 604 postquam *τίς γὰρ εἴρηκε*, inquit, *τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος ἐγκώμιον τοιοῦτον οἷον Εὐριπίδης*, quattuor, quos modo explicavimus, versus exhibet. Isque tum aliis versibus adjectis, tum vero his ipsis a Lycurgo differt, quod *πεσσῶν ὁμοίως διαφορηθεῖσαι βολαῖς* et *ἐξαγώγιμοι* scribit.

(1) In edit. Lycurgi, quae Berolini 1836 prodiit p. 247. Sequentibus sicubi eum excitabimus, cf. ibid. p. 247 — 253.

(2) Il. 21, 191. 17, 51.

(3) Locos Sophocleos excito secundum edit. Tauchnitzianam.

Utrumque, ubi per se consideres, idoneam sane praebet sententiam. Ut enim recte Musgravius *βολὰς* non tam *πεσσοῖς* quum *κύβοις* convenire moneat: recte, puto, Pinzgerus id expedivit, videlicet *βάλλειν* non solum de jaciendo, sed etiam sententia paullulum amplificata de ponendo usurpari. Velut Il. 5, 722 *Ἥβη δ' ἀμφ' ὀχέεσσι θοοῖς βάλε καμπύλα κύκλα.* Quod autem Matthiaeus se vix intelligere dicit, quomodo urbs e variorum hominum undique confluentium colluvie orta *διαφορεῖσθαι* dici possit, quod potius de urbe dissipata, incolis in varia loca alia translatis, dici posse videatur: verbum *διαφορεῖσθαι* perperam videtur accepisse. Neque enim unam eandemque civitatem in varias partes dividi, sed unam urbem ab altera *διαφορεῖσθαι* sive unam huc, alteram illuc ferri poeta significat. Nam in hanc quidem sententiam et *πεσσῶν διαφορὰς* et *πεσσῶν διαφορηθείσας βολάς* — nam eae quidem in versu Plutarchico insunt — accipias. Postremo *ἐξαγώγιμοι*, sententiam si spectes, nihil fere ab *εἰσαγώγιμοι* discedit, modo ne cum Grotio (1) vertas: aliaeque ab aliis sede pelluntur sua. Jam igitur quum in utraque scriptione conveniens insit sententia: utra genuina esse videatur, quaerendum. Atque auctoritatem quidem ubi spectes, Lycurgicam praeferas, praesertim quum Lycurgum lege cavisse constet, ne trium tragicorum principum opera histrionum licentia turbarentur (2). Sin vero difficultatem sequaris — namque eam in *βολαῖς* inesse videri et Pinzgerus concedit — antiquitatis testem, Plutarchicam probes. Qua de re multi provocarunt ad

(1) Versiones Grotii apud Matthiaeum exstant.

(2) Pinzger l. l. p. 16.

δευτέρας poetae *φροντίδας*. Sed rectam viam, puto, id commonstrat, quod Plutarchus omissis versibus, qui apud Lycurgum sequuntur, quinque alios adjungit, quos ab Erechthei sive prima sive altera editione alienos esse vel compellatio *γύναι* docet. Sunt autem hi:

εἰ δ' οὐ πάρεργον χρή τι κομπάσαι, γύναι,
οὔρανον ὑπὲρ γῆς ἔχομεν εὖ κεκραμένον,
ἵν' οὔτ' ἄγαν πῦρ οὔτε χεῖμα συμπιτνεῖ.
ἃ δ' Ἑλλὰς δ' Ἀσία τ' ἐκτρέφει κάλλιστα, γῆς
δέλεαρ ἔχοντες τῆςδε συνθηρεύομεν.

Nam ita bene mutasse versus corruptos videtur Bergkius l. l., a Welckero notatus. Jam vero eos ab histrione Erechtheo insertos esse nemo facile dicat — is enim, si quidquam sapisset, non *γύναι* scripsisset — sed Euripidi recte, siquid ego sentio, assignavit Bergkius, qui de argumento optime exposuit. Neque vero est, cur Pinzgerum sequutus ex dramate satyrico sumptos putes. Quod si quem numeri solutiores offendant: mihi quidem hanc in rem tragoedias a sene Euripide scriptas hic illic inspicienti versus occurrerunt etiam licentiores. Sic, ut pauca exempla afferam:

Helena v. 65 *ἵκετις, ἵν' ἄνδρι τἀμὰ διασώσῃ λέχη.*
Phoen. v. 409 *οὐδ' ὁ χρόνος αὐτὰς διεσάφησ' οὔσας κενάς;*
Orest. v. 25 *ἣ πόσιν ἀπείρῳ περιβαλοῦσ' ὑφάσματι*
ib. 37 *μανίαισιν· ὀνομάζειν γὰρ αἰδοῦμαι θεάς.*

Quid, quod duos inducat pyrrichios, uni vel anapaesto vel dactylo junctos:

ib. 635 *ἃ δ' ἔλαβες, ἀπόδος, πατρὸς ἐμοῦ λαβὼν πάρα.*
ib. 639 *ἄδικόν τι παρὰ σοῦ· καὶ γὰρ Ἀγαμέμνων ἄναξ.*

Neque vero *τὸ* »*δέλεαρ ἔχοντες τῆσδε* licet a tragica severitate abhorreat, ab Euripidis tragoedia abhorret.

Namque et Androm. 205 Hermiona, Andromacham filio capto ex asylo excitatura *τοιόνδ' ἔχω σου δέλεαρ* compellat. Quamquam hic alia est genitivi ratio. Possis igitur ex Euripidea tragoedia, inferioris illa quidem aetatis, repetere. Jam vero quum nihil sit, cur Plutarchum duo locos in unum contraxisse putes: recte, opinor, Bergkius suspicatus est, integrum inde ab *ἣ πρῶτα* e. q. s. locum qualem Plutarchus exhibeat, ex alia nostri tragoedia desumptum esse, qua quidem idem argumentum tractaverit, iisdem passim verbis usus. Quod quidem haud raro facit. Sic Iphigeniam Tauricam et Orestam eodem exitu terminat:

ὦ μέγα σεμνὰ Νίκα, τὸν ἐμὸν
βίοτον κατέχοις,
καὶ μὴ λήγοις στεφανοῦσα.

Similiter Alcestidem et Medeam:

πολλῶν ταμίας Ζεὺς ἐν Ὀλύμπῳ — πολλαὶ μορφαὶ τῶν δαιμονίων,
πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί·
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη,
τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός·
τοιόνδ' ἀπέβη τόδε πρᾶγμα.

Sed quid multa? Nam in hac ipsa tragoedia duo deprehendemus exempla, eaque ex dialogis petita. Jam vero duabus in tragoediis tamen non prorsus iisdem verbis usus est, sed paullulum discrepantibus, velut et in exemplo modo laudato. Atque hac quidem ratione differentiam, quae Lycurgicos inter et Plutarchicos versus intercedit, explicaverim.

Sed jam redeamus ad Praxitheae orationem, unde

justo longius discessimus. Quod de civitatibus aliunde conditis dicere coepit, persequitur.

ὅστις δ' ἀπ' ἄλλης, inquit, *πόλεος οἰκίζει πόλιν,*
ἁρμὸς πονηρὸς ὥσπερ ἐν ξύλῳ παγεὶς,
λόγῳ πολιστής ἐστι, τοῖς δ' ἔργοισιν οὐ.

Qui locus non exiguis impeditus est difficultatibus, praesertim quum Osannus (1) duobus e codicibus *πολιστὴς* protulerit, vocabulum adhuc inauditum, idem tamen jam a Reiskio scriptum. Nam hactenus hoc loco *πολίτης* legebatur. Id quum a *πολίζω* descendat, non tam civem, quam civitatis conditorem significat. Ut autem ab Euripide scriptum esse existimem: tum vocabuli difficultas me movet — nam ita quidem facile inducebantur librarii, *πολίτης* ut substituerent — tum vero mirifica cum verbo *οἰκίζει* congruentia. Namque hoc non incolendi sed condendi vim habet. Si quis, inquit Praxithea, aliunde profectus civitatem condit, non civitatem condit sed coloniam sive civitatem, quae tali nomine digna non sit. Solum enim Aboriginum civitates hoc nomine dignas esse significat. Jam vero medium versum videamus. Pinzgerus vertit:

gleich wildem Zweige auf den Stamm gepfropft.

Quod satis audacter expressum esse monet Maetznerus, neque vero injuria. Quamquam et ego non possum non ita vertere. Quod si recte *πολιστὴς* scripsimus, *ἁρμὸν*, quicum comparatur, aliquid esse necesse est, in quo gignendi et procreandi vis insit, velut in *πολιστῇ* sive in eo, *ὃς οἰκίζει πόλιν*, vis est civitatem condendi. Jam vero sive de clavo sive de assere tignis immisso cogitas, tale quid non assequaris. Id solum fit, si surculum arbori immissum dictum putas. Ut enim surculus pravus arbori immissus ramos illos quidem et fructus fert, sed pravos ac spurios neque vero hoc nomine dignos: ita advenae in terra peregrina civitates illas quidem condunt, sed quae civitatium nomine sunt indignae. Quamquam fateor, aliquo me teneri scrupulo, quod Passovius s. h. v. *ξύλον* demum a Callimacho de vivo ligno sive de arboribus usurpari dicit, nam antea non nisi lignum emortuum hoc vocabulo Graecos notasse. Hunc scrupulum me doctiores eximant. Sed *πηγνύναι* de surculis immittendis in usu fuisse idem auctor est.

(1) Notante Pinzgero.

Atque hactenus quidem de laudibus Atticae dixit Praxithea. Jam, quid ipsi debeant patriae, persequitur. Idque initio paullo generalius:

ἔπειτα τέκνα τοῦδ' ἕκητι τίκτομεν,
ὡς θεῶν τε βωμοὺς πατρίδα τε ῥυώμεθα.

Duo ponit, sacra patria et patriam. Cf. Aeschyl. Sept. c. Theb. 14 et 15. Hanc proxime sequentibus pertractat. Illa, quoniam eorum *τὸ πλεῖστον ἐν κοινῷ μέρος*, in extremam orationem reservavit. Jam igitur de patria:

πόλεος δ' ἁπάσης τοὔνομ' ἕν· πολλοὶ δέ νιν
ναίουσι· τούτους πῶς διαφθεῖραί με χρὴ
ἐξὸν πρὸ πάντων μίαν ὑπὲρ δοῦναι θανεῖν;

Urbs universa, inquit, quum uno nomine comprehendatur, itaque velut unius personae vices sustineat: tamen a compluribus habitatur civibus, atque ita in complurium personarum loco habenda est. Proinde filiam meam, quae re vera unius modo personae partes gerat, pro ea immolari oportet. *ναίουσι* e codicibus eruerunt. Quamquam si, quod vulgo legebatur, *νόμοισι* manuscriptis quo-

justo longius discessimus. Quod de civitatibus aliunde conditis dicere coepit, persequitur.

ὅστις δ' ἀπ' ἄλλης, inquit, πόλεος οἰκίζει πόλιν,
ἁρμὸς πονηρὸς ὥσπερ ἐν ξύλῳ παγείς,
λόγῳ πολιστής ἐστι, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ.

Qui locus non exiguis impeditus est difficultatibus, praesertim quum Osannus (1) duobus e codicibus πολιστὴς protulerit, vocabulum adhuc inauditum, idem tamen jam a Reiskio scriptum. Nam hactenus hoc loco πολίτης legebatur. Id quum a πολίζω descendat, non tam civem, quam civitatis conditorem significat. Ut autem ab Euripide scriptum esse existimem: tum vocabuli difficultas me movet — nam ita quidem facile inducebantur librarii, πολίτης ut substituerent — tum vero mirifica cum verbo οἰκίζει congruentia. Namque hoc non incolendi sed condendi vim habet. Si quis, inquit Praxithea, aliunde profectus civitatem condit, non civitatem condit sed coloniam sive civitatem, quae tali nomine digna non sit. Solum enim Aboriginum civitates hoc nomine dignas esse significat. Jam vero medium versum videamus. Pinzgerus vertit:

gleich wildem Zweige auf den Stamm gepfropft.

Quod satis audacter expressum esse monet Maetznerus, neque vero injuria. Quamquam et ego non possum non ita vertere. Quod si recte πολιστὴς scripsimus, ἁρμὸν, quicum comparatur, aliquid esse necesse est, in quo gignendi et procreandi vis insit, velut in πολιστῇ sive in eo, ὃς οἰκίζει πόλιν, vis est civitatem condendi. Jam vero sive de clavo sive de assere tignis immisso cogi-

---

(1) Notante Pinzgero.

tas, tale quid non assequaris. Id solum fit, si surculum arbori immissum dictum putas. Ut enim surculus pravus arbori immissus ramos illos quidem et fructus fert, sed pravos ac spurios neque vero hoc nomine dignos: ita advenae in terra peregrina civitates illas quidem condunt, sed quae civitatium nomine sunt indignae. Quamquam fateor, aliquo me teneri scrupulo, quod Passovius s. h. v. ξύλον demum a Callimacho de vivo ligno sive de arboribus usurpari dicit, nam antea non nisi lignum emortuum hoc vocabulo Graecos notasse. Hunc scrupulum me doctiores eximant. Sed πηγνύναι de surculis immittendis in usu fuisse idem auctor est.

Atque hactenus quidem de laudibus Atticae dixit Praxithea. Jam, quid ipsi debeant patriae, persequitur. Idque initio paullo generalius:

ἔπειτα τέκνα τοῦδ' ἕκητι τίκτομεν,
ὡς θεῶν τε βωμοὺς πατρίδα τε ῥυώμεθα.

Duo ponit, sacra patria et patriam. Cf. Aeschyl. Sept. c. Theb. 14 et 15. Hanc proxime sequentibus pertractat. Illa, quoniam eorum τὸ πλεῖστον ἐν κοινῷ μέρος, in extremam orationem reservavit. Jam igitur de patria:

πόλεος δ' ἁπάσης τοὔνομ' ἕν· πολλοὶ δέ νιν
ναίουσι· τούτους πῶς διαφθεῖραί με χρὴ
ἐξὸν πρὸ πάντων μίαν ὑπὲρ δοῦναι θανεῖν;

Urbs universa, inquit, quum uno nomine comprehendatur, itaque velut unius personae vices sustineat: tamen a compluribus habitatur civibus, atque ita in complurium personarum loco habenda est. Proinde filiam meam, quae re vera unius modo personae partes gerat, pro ea immolari oportet. ναίουσι e codicibus eruerunt. Quamquam si, quod vulgo legebatur, νόμοισι manuscriptis quo-

que nititur — quod equidem nescio — adduci possis, ut *νέμουσι* a poeta scriptum suspiceris. Nam inde variantes scripturae, altera scribendi mendo, altera interpretandi studio facillime oriri potuerunt. *νέμειν* autem habitandi vim, quam plerumque medio *νέμεσθαι* assignant, apud Aristotelem tenere testis est Passovius. Laudat idem Herodot. VII. 161 *τάδε τὰ ἐμπόρια ὑπὸ τοῖσι βαρβάροισ, νέμεται. ὑπὲρ* ad *θανεῖν*, non ad *δοῦναι*, pertinere comprobare studuit Maetznerus.

Jam in eandem, qua coepit, sententiam et haec addit:

> *εἴπερ γὰρ ἄριθμον οἶδα καὶ τοὐλάσσονος*
> *τὸ μεῖζον, εἷς μὲν οἶκος οὐ πλεῖον σθένει*
> *πταίσας ἁπάσης πόλεος, οὐδ᾽ ἴσον φέρει.*

Unius, inquit, familiae casus non solum non plus, sed ne tantum quidem valet, quam universae civitatis clades. *εἷς μὲν* Taylorum sequutus scripsi, libris metro cessumdato *ἑνὸς, ἑνὸς μὲν* praebentibus. Idque et ceteris conjecturis, velut *ἐμὸς μέν, οὑμὸς* praetulerim, quod de numero dicit, et *ἁπάσης πόλεος* in contrario collocat. Neque vero est, cur quis — id quod facit Maetznerus — omisso membro, quod *τῷ „μὲν“* respondeat, offendatur. Ultro enim subaudias: complures vero familias si quod malum affligit, civitatis universae cladem fere exaequat. Videsis Matthiaei Gr. Gramm. ed. 3. §. 622, 6.

Ceterum de tota, quam his versibus persequuta est, sententia conferas, quod Iphigenia Clytaemnestram ita compellat (1):

(1) Iphig. Aulid. 1396 sqq.

> *πᾶσι γάρ μ᾽ Ἕλλησι κοινὸν ἔτεκες, οὐχὶ σοὶ μόνῃ·*
> *ἀλλὰ μυρίοι μὲν ἄνδρες ἀσπίσιν πεφραγμένοι*
> *μυρίοι δ᾽ ἐρετμ᾽ ἔχοντες πατρίδος ἠδικημένης*
> *δρᾶν τι τολμήσουσιν ἐχθρούς τε χὐπὲρ Ἑλλάδος θανεῖν·*
> *ἡ δ᾽ ἐμὴ ψυχὴ μί᾽ οὖσα πάντα κωλύσει τάδε;*

Quamquam illic prorsus contraria res est. Nam illic in victimae, hic contra in parentum magnaminitate cardo vertitur.

Jam vero postquam liberos patriae in salutem gigni in universum monuit, pro sexus differentia accuratius explicat.

> *εἰ δ᾽ ἦν ἐν οἴκοις ἀντὶ θήλεων στάχυς*
> *ἄρσην, πόλιν δὲ πολεμία κατεῖχε φλόξ,*
> *οὐκ ἄν μιν ἐξέπεμπον εἰς μάχην δορὸς*
> *θάνατον προταρβοῦσ᾽;*

Locum per se non difficilem, modo *οὐκ* cum *ἐξέπεμπον* velut in unam notionem conjungas. Sicuti Grotius: cunctarer eos mittere? *μιν* autem particulae *μήν*, quam e libris nonnullis Pinzgerus eruit, praetulerim, ne spondeus pari sedi importetur. Jam vero sequentia fragmenta si consideres, vereor, ne male te habeat, quod sibi filios esse negare videtur. Nam infra quidem Erechthei orationem videbimus haud exiguam, qua quidem eum filium cohortari vel ex primis versibus

> *ὀρθῶς μ᾽ ἐπήρου, βούλομαι δέ σοι, τέκνον —*
> *φρονεῖς γὰρ ἤδη, κἀποσώσαις ἂν πατρὸς*
> *γνώμας φράσαντος, ἢν θάνω — παραινέσαι κ. τ. λ.*

cognoscas. Atque Apollodoro quidem, complures Erechtheo filios assignanti, nostra repugnare notavit Maetznerus. Nisi igitur aut locum modo commemoratum ita interpretari malis, ut Erechtheus non tam filium, quam

nepotem, Jonem, compellare videatur — id, quod num fieri possit, infra quaerendum erit — aut poetam ipsum sui oblivisci credas — cujus rei equidem non habeo exemplum — videndum est, num forte in vocabulo *στάχυς* hujus difficultatis insit remedium. Quandoquidem enim *ἡ γῆ καρποφορεῖ πρῶτον χόρτον, εἶτα στάχυν, εἶτα πλήρη σῖτον ἐν τῷ στάχυι*, ut est in evangelio Marci cap. 4, 28: vocabulo *στάχυς* et sententia translata non omnino liberos, sed qui medium tenent puerilem inter et adultam aetatem, itaque adolescentes sive filios sive filias significari dixeris. Ac sane quidem tum filias adolescentes fuisse tradit poeta, quum ipsas sese interemisse narrat, tum filios, quos mater in bellum mittat, id aetatis esse oportet. Proinde filios sibi esse non omnino negare, modo si qui sint, pueros esse significare videatur. Namque et infra puer inducitur, qui licet non admodum infans sit, tamen non nisi primum sapere coepit. Fortassis autem argutior esse videatur haec explicatio. Ita vero nihil melius habeo, quam ut litteris paullulum immutatis ita a poeta scriptum suspicer:

εἰ δ' ἦν ἐν οἴκοις ἀνατεθηληκὼς στάχυς
ἄρσην,

sive, si quis vocabulo *ἀναθηλέω*, rariori illo quidem et uno, quo reperitur loco Il. *α*. *v*. 236, nescio an vim activam tenenti, offendatur:

εἰ δ' ἦν ἐν οἴκοις ἀνατεθηλώς μοι στάχυς

Nam ita quidem, quod non nisi puberes, adultos filios designari desideras, assequaris. Sed haec hactenus. Nam de verbi *θάλλειν* usu non est cur exponam.

Jam igitur, non cunctarer, inquit, in bellum mittere, filios.

— ἀλλ' ἐμοίγ' ἔστιν τέκνα,
ἃ καὶ μάχοιτο καὶ μετ' ἀνδράσι πρέποι,
μὴ σχήματ' ἄλλως ἐν πόλει πεφυκότα.

Haec verba multum ad quaestionem modo institutam faciunt. Nam codices, quos Bekkerus contulit, *ἔστι* praebent. Quod sequutus sin *ἔστιν* scribas — id, quod Pinzgerus fecit — tum id cum fragmento infra tractando mirum congruere videas, tum vero eo magis versus proxime antecedentes de filiis puberibus *κατ' ἐξοχὴν* accipiendos esse intelligas. Quamquam in hoc nonnihil difficultatis inest. Nam ita quidem versum ultimum *μὴ* — *πεφυκότα* eadem ratione, atque antecedens membrum *τέκνα* — *πρέποι*, utque eandem atque illud dignitatem teneat, ab *ἐστὶ* suspendere non possis. ita enim *οὐ*, non *μὴ* poni debebat. sed ita si scribitur, necesse est versus ultimus ab antecedenti suspendatur tanquam *ἐπεξηγήσεως* causa adjectus. Atque id quidem, quantum equidem sentio, licet per grammaticam fiat, gravi tamen laborat duritie. Quam ob rem induci possis, ut Hermanno auctore (1) *ἔστω* malis, quod quidem vulgatae *εἴη* vel eo praestat, quod propius ad codicum scripturam accedit. Id autem si recte sese habet, vereor ut cum fragmento illo conciliari possit. Ceterum de re cf. Elect. v. 390 sqq.

— αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν
ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσίν· οὐδὲ γὰρ δόρυ
μᾶλλον βραχίων σθεναρὸς ἀσθενοῦς μένει.

Jam, quid ipsa sentiat, eloquuta in mollem matrum animum invehitur, quae filios patriae devovere dubitant:

---

(1) Apud Matthiaeum.

τὰ μητέρων δὲ δάκρυ', ὅταν πέμπῃ τέκνα,
πολλοὺς ἐθήλυν' εἰς μάχην ὁρμωμένους.
μισῶ γυναῖκας, αἵτινες πρὸ τοῦ καλοῦ
ζῆν παῖδας εἵλονθ', αἳ παρῄνεσαν κακά.

Nam ita quidem facillime, puto, versum extremum, manifesto corruptum, restituit Pflugkius Schulzeitung 1831. II. p. 22. Postquam igitur, quid, si ipsi filii essent juvenes, de iis statueret, exposuit, jam eo potius de filia idem se statuere dicit. Multo majorem enim laudem in hanc esse redundaturam:

καὶ μὴν θανόντες γ' ἐν μάχῃ πολλῶν μέτα
τύμβον τε κοινὸν ἔλαχον εὔκλειάν τ' ἴσην·
τἠμῇ δὲ παιδὶ στέφανος εἷς μιᾷ μόνῃ
πόλεος θανούσῃ τῆσδ' ὕπερ δοθήσεται.

Nam ita quidem optime, si quid mei est judicii, restituit Tyrwhittus locum misere perditum:

τἠμῇ δὲ παιδὶ στέφανος, ἣ μία μόνη
πόλεος θανοῦσα τῆσδ' ὕπερ δοθήσεται.

In quo, ut de *μία* jambi loco posito taceam — namque *α* sequente *μ* producere non nisi Homero licuit — quoquo modo explicas, tum sententia inest parum idonea, tum graves soloecismi. Quod si *ἣ θανοῦσα δοθήσεται* jungas, non *θανοῦσα*, sed *θανουμένη* exspectaverit aliquis. Sin vero verbo *δοθήσεται* ad *στέφανος* relato *ἣ θανοῦσα* idem atque *ἣ ἔθανε* sonare putes: et hoc paullo durius esse facile quis sentiat. Quem enim laudare possis locum ex Oedipo Rege extremo:

ὅστις οὐ ζήλῳ πολιτῶν καὶ τύχαις ἐπιβλέπων

vexatissimum esse constat. Sed hoc ut mittam, ita nihil aliud nisi *στέφανος εὐκλείᾳ* et *τύμβῳ* opponeretur. Atqui non in gloria et sepulcro, sed in eo, quod *πολλῶν μέτα*

his communibus utuntur, membri proximi vim inesse facile cernas. Qua de re fieri non potest, quin iis *εἷς στέφανος μιᾷ μόνῃ* datus e regione collocetur.

Jam novum argumentum addit:

καὶ τὴν τεκοῦσαν καί σε δύο θ' ὁμοσπόρω
σώσει.

Duas sorores tangit. nam *ζεῦγος τριπάρθενον* fabula nostra commemoravit Euripides. Filiorum quod non meminit, inde forsan explicare possis, quod erant pueri. Ceterum hinc cognoscas, poetam parentes induxisse conjurationis filiarum nescios.

Tanta igitur salus quum ex filiae nece redundare videatur,

— *τί τούτων,* inquit, *οὐχὶ δέξασθαι καλόν;*

Iterum igitur declarat consilium:

τὴν οὐκ ἐμὴν οὖν πλὴν φύσει δώσω κόρην
θῦσαι πρὸ γαίας.

οὖν de meo scripsi, quo mancum versum supplerem. Id autem aptissimum puto. Postquam enim initio breviter declaravit, patriae in salutem se gignere liberos, tum id uberius persequuta est: iterum, quid sibi faciendum sit, ex antecedentibus velut colligit. Jam vero hanc conclusionem, ut saepe fit, tanquam de integro explicat:

— *εἰ γὰρ αἱρεθήσεται*
πόλις, τί παίδων τῶν ἐμῶν μέτεστί μοι;

Videlicet non quo urbe capta liberis, captis, interfectis illis quidem orbetur, sed quo patria perdita maestam nihil juvent liberi.

Jam vero sequitur locus paullo impeditior. Is in codicibus ita legitur:

οὐκοῦν ἅπαντας γοῦν τ' ἐμοὶ σωθήσεται
ἄρξουσιν (alii *ἄρξουσί τ'* vel *ἄρξουσι δ'*) *ἄλλοι τήν*
δ' ἐγὼ σώσω πόλιν.

Id autem *ἅπαντας* in *ἅπαντα, γοῦν τ'* in *τοὐν* vel *τοὖν γ'* mutato, *ἄρξουσιν* recepto et commate graviori post *σωθήσεται* collocato, plerumque ita vertunt sive vertere videntur. Tota igitur, inquit, civitas per me quidem servabitur. Alii ut ejus imperium teneant, ego ejus servatrix existam. Ita quidem, ut a secundo versu exordiar, maxima vis inest in illo *ἐγώ*. Sibi prae ceteris urbis servandae laudem vindicat. Atque in eandem quidem sententiam, quum *ἐγὼ σώσω* et *τοὐν ἐμοὶ σωθήσεται* sibi respondeant necesse sit commate quidem graviori post *σωθήσεται* posito, priorem interpretari videntur. Speciem quandam hoc prae se ferre non infitior. Facile enim quis induci possit, ut *ἐγὼ σώσω* et *ἐμοὶ σωθήσεται* sibi respondere, itaque post *σωθήσεται* interpungendum esse, *ἄλλοι* autem et *ἐγὼ* sibi esse opposita, itaque hoc maximum momentum contineri putet. Quamquam ut ab eo, quod postremo loco collocavi, initium repetam, per se et propter se id non necesse esse facile cognoscas ex versu mox sequenti:

ἀντὶ γὰρ ψυχῆς μιᾶς
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τήνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν.

Quo loco quum summa vis non in *ἐγὼ* sed in *πόλιν* insit, idem et hic ita sese habere suspiceris, praesertim quum noster versus iisdem atque ille vocabulis terminetur. Atque omnino quidem illam sententiam ab orationis continuitate prorsus alienam esse judico. Nam sibi potissimum salutis patriae laudem vindicare extremae de-

mum fuit orationis. Qua quidem, postquam longa orationis serie animum generosissimum ostendit:

ὦ πατρὶς, inquit, *εἴθε πάντες οἳ ναίουσί σε*
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ·

Contra iis, quae locum nostrum et proxime antecedunt, et excipiunt, nunquam se commissuram esse asseverat, ut liberorum justo amantior tum patriam, tum sacra patria perdat. Ac de sacris quidem patriis tuendis dictura quum ita versu proximo exordiatur:

ἐκεῖνο δ', οὗ τὸ πλεῖστον ἐν κοινῷ μέρος

fere necesse est, loco nostro de *κοινῷ* servando dixerit neque vero de suis laudibus. His de rebus equidem Pinzgerum sequar, qui codicum quoque vestigiis accuratius pressis ita scriptum putat:

οὔκουν ἅπαντα γοῦν ἐμοὶ σωθήσεται,
ἄρξουσί τ' ἄλλοι· τήνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν.

Sive, ut versus prioris negationem (*οὔκουν*) in *τε* explicando subaudias — de qua re ipse exempla attulit — nunquam, inquit Praxithea, committam, ut mihi quidem omnibus meis integre servatis civitatis imperium exteri teneant. Sed civitatem servabo. Id autem sententiarum nexui est convenientissimum. Compares tum antecedentes tres versus, tum sequentia, de quibus ne quae supra monui repetam, notasse sufficiat, *τῷ* „*οὔκουν ἄρξουσιν ἄλλοι* respondere *οὐκ ἔστι — προγόνων παλαιὰ θέσμι' ὅστις ἐκβαλεῖ.* *ἄλλος* autem *ἀλλοτρίου* sive peregrini notionem tenere comprobavit Passovius duobus allatis exemplis, uno Odyss. 23, 274 *ἄλλος ὁδίτης*, altero Oed. Rex. v. 231. *τὴν δὲ* scribere mavult Pinzgerus, nescio an recte, idque articulo pronominis demonstrativi vi tri-

buta. Quamquam equidem propter v. 52 modo commemoratum *τήνδε* praetulerim. Neque enim adversandi particula *δὲ* opus esse videtur. Sed de hoc hactenus.

Jam novum incipit argumentum, idque longe gravissimum. Nam quum supra duo memoraverit, quorum ad salutem gignant liberos, *θεῶν βωμοὺς* et *πατρίδα*, hactenus de hac egit, de sacris vero tuendis extrema demum oratione verba facit. Adque rem longe maximam quum transitum faciat:

ἐκεῖνο δ', inquit, *οὐ τὸ πλεῖστον ἐν κοινῷ μέρος*

tum rem ipsam persequitur:

οὐκ ἔσθ', ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἄτερ
προγόνων παλαιὰ θέσμι' ὅστις ἐκβαλεῖ·
οὔτ' ἂν τελείας χρυσέας τε Γοργόνος
τρίαιναν ὀρθὴν στᾶσαν ἐν πόλεος βάθροις
Εὔμολπος, οὐδὲ Θρᾷξ ἀναστρέψει λεώς·
στεφάνοισι Παλλὰς δ' οὐδαμοῦ τιμήσεται.

Nam hanc quidem, ut de calami mendis, facili illis negotio corrigendis neque vero multum ad rem facientibus, e. g. *πάλαι, θέσμια τις, ἐκβάλλει, πόλει βάθρον* taceam, scripturam in universum aestimanti repraesentant codices, sed multis illam difficultatibus impeditam. Ne multus enim sim de constructione, quae Pinzgero *ἀνακόλουθος* esse videtur, primum particula *ἄτερ* offensi vel duas constructiones *ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς* et *ἄτερ τ. ε. ψ.* permixtas vel *ἄτερ* calami vitio pro *ἄνερ* scriptum voluerunt. Neutrum puto, recte. Equidem, quum primum locum inspexi, *ἄτερ ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς* idem esse atque *ἀκούσης τ. ε. ψ.* putavi, itaque et Pinzgerum statuisse vidi. Namque *ἄτερ* nonnunquam aliquid invito aliquo fieri significat. Sic Il. 15, 292 —

οὐ γὰρ ἄτερ γε
Ζηνὸς ἐριγδούπου πρόμος ἵσταται

Neque vero in vocabuli *ἑκούσης* abundantia offendendum puto.

Jam de sequentibus ut primum leviora explicem, *Γοργόνος* Palladem dici tum ex versu ultimo conjicias, tum id per dicendi usum licere allato Helen. v. 1336 probarunt. Neque igitur necesse est, ut, id quod fecit Boettigerus (1) de clypeo Gorgonico aureo Minervae Promachae cogites; neque vero *χρυσέας* aliam in sententiam accipiendum videtur, quam notissima illa Deorum Homericorum epitheta. *τελεία* autem Minerva dicitur propter potentiam. cf. Aesch. Sept. v. 167. Jam vero gravissime eo offendimur, quod *τρίαιναν ὀρθὴν στᾶσαν ἐν πόλεος βάθροις* Minervae poeta tribuit, quamvis Neptuni fuscinam propriam fuisse constet. Is enim dum de Attica cum illa certat, acropolin ea percussisse tradebatur. Cujus fabulae documentum in Erechtheo monstrabatur *τριαίνης ἐν τῇ πέτρᾳ σχῆμα*. Jam vero Pinzgerus hanc difficultatem expedire conatus est, idque tum multo ingenii acumine, tum abunda doctrinae copia usus. Scilicet Minervam, quum illo certamine Neptunum vicerit, fustinam ab eo humo infixam velut occupasse suique fecisse. Tale quid autem in ejus sacris deprehendere videtur. Nam primum quidem auctore Plutarcho (2) Athenis *Ποσειδῶν καὶ νεὼ κοινωνεῖ μετὰ τῆς Ἀθηνᾶς*, atque erat ibi, quod non omittere debebat Pinzgerus, '*βωμὸς*

(1) Amalthea II. 313. Ipse tamen librum nancisci non potui, Pinzgero de eo auctore utor.

(2) Sympos. Quaest. IX. 6.

Λήθης ἱδρυμένος, qua re scilicet, notante Quastio (1) amborum numinum reconciliatio significaretur. Minervae Poliadis templum sive Erechtheum nostrum dictum puta, duas in partes divisum, quarum in una quum Minerva, in altera Erechtheus coleretur, erant, qui non Erechtheum, sed Neptunum cognomine Erechtheum appellatum coli dicerent (2). Deinde vero gens Eteobutadarum tum Minervae tum Neptuni sacerdotio fungebatur, eamque fuscinae insigni usam esse conjicit noster ex tabula antiqua, a Pseudo-Plutarcho (3) commemorata. Is enim: *καὶ ἔστιν αὕτη*, inquit, *ἡ καταγωγὴ τοῦ γένους τῶν ἱερασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος, ἐν πίνακι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ γεγραμμένος ὑπ' Ἰσμηνίου τοῦ Χαλκιδέως. — τὸν δὲ πίνακα ἀνέθηκεν Ἄβρων, ὁ παῖς Λυκούργου, λαχὼν ἐκ τοῦ γένους τὴν ἱερωσύνην καὶ παραχωρήσας τῷ ἀδελφῷ Λυ-*

---

(1) Erechtheion p. 99.

(2) Cf. Paus. I, 26. ἐσελθόντι δὲ τὸ Ἐρεχθεῖόν εἰσι βωμοὶ, Ποσειδῶνος, ἐφ' οὗ καὶ Ἐρεχθεῖ θύουσιν ἔκ του μαντεύματος. Plutarch ap. Meurs. l. l. p. 129 Μήδειος τὴν ἱερωσύνην Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως εἶχε. Athenagor. ib. ὁ δὲ Ἀθηναῖος Ἐρεχθεῖ Ποσειδῶνι θύει. Quae ratio Neptuni sacris cum Erechtheis intercesserit, difficillimum est judicatu. An vero ἐρεχθεὺς nomen appellativum esse velis itaque Neptuni epitheton tanquam ἐννοσιγαίου? Namque Acropolin tridente percussisse dicebatur. Cf. de verbo ἐρέχθειν Od. 5. 83. θυμὸν ἐρέχθων, hymn. in Apoll. v. 358 ὀδύνῃσιν ἐρεχθομένη μεγάλῃσιν, quicum cf. Il. 5, 399 ὀδύνῃσι πεπαρμένη. Cognatum videtur cum ἐρείκω. Hesiod. scut. 287 ἀροτῆρες — ἤρεικον χθόνα δῖαν. Vide Passov. s. h. v. v. De re vero conferas, quod Muellerus Prolegom. ad mythol. p. 273 Xuthum ex Apolline ξουθῷ sive ξανθῷ, Aegeum ex Neptuno Αἰγεῖ sive Aegis culto enatum esse fere comprobat. Atqui Davus sum, non Oedipus.

(3) Vita X orat. Locum mutuati sumus a Muellero l. l. pag. 8.

κόφρονι. καὶ διὰ τοῦτο πεποίηται ὁ Ἄβρων προσδιδοὺς αὐτῷ τὴν τρίαιναν. Denique igitur Euripidem, quippe qui rariora ac reconditiora fabularum adamet, hac tragoedia potius de conjunctione quam de certamine sacrorum illorum cogitasse suspicatur. Speciose haec quidem disputat, sed tamen vereor, ut cui satis faciat. Nam primum quidem ut de Pseudo-Plutarcho dicam: probe tenendum est, quod Abro *τῶν ἱερασαμένων τοῦ Ποσειδῶνος* unus esse dicitur. Jam vero amborum Deorum sacerdotium licet penes unam eandemque gentem esset, tamen non item penes unum eundemque sacerdotem. Sed Minervae sacris feminam, Neptuniis virum praefuisse docet Muellerus (1). Licet igitur Neptuni sacerdotes fuscinae insigni usos esse ex tabula illa cognoscatur: num item Minervae, valde dubitaverim. Muellerus (2) quidem quum de antistitis Minervalis matronae habitu opus caelatum sequutus agit, nihil tale habet. Neque igitur Athenienses Minervae tridentem tribuisse inde colligas. Quod autem numina illa mutuam in gratiam rediisse tradiderunt eamque in rem Oblivionis aram constituerunt: tamen Euripidem hac ipsa fabula tale quid admisisse prorsus negaverim. Nam ut omittam, eum non tam recondita sive mystica fabularum captare, quam, ubi tale quid deprehendat, expellere, ac recentia commenta substituere, quo fiat, ut fabulae heroicae vitae communis speciem induant (quamquam, etiamsi non de Deorum conjunctione sed certamine cogitaverit, id non admisit): hic potius eorum certamen inducendum fuisse ex Hygini et Isocratis dictis cognoscas, atque adeo

---

(1) Min. Pol. p. 13.

(2) l. l. p. 14.

inductum esse inde conjicias, quod poeta Neptunum Eumolpum genuisse atque in Aethiopiam deportasse narravit. Quibus de rebus equidem in Pinzgeri explicatione acquiescere non possum. Si quis igitur vulgatam tueri velit, is ita explicet, ut Eumolpus ea de causa tridentem dejicere dicatur, quod Minerva eum Neptuno ademit. Sed id tum accuratius dici debebat, tum vero Eumolpum tridentem potius Neptuno consecrasse, quam dejecisse exspectaveris. Quae quum ita sint, equidem adstipulandum esse censeo egregiae illi et Dobrei et Boettigeri conjecturae (1):

οὐκ ἔσθ᾽ ἑκούσης τῆς ἐμῆς ψυχῆς ἄτερ (namque id retineo)
προγόνων παλαιὰ θέσμι᾽ ὅστις ἐκβαλεῖ.
οὐδ᾽ ἀντ᾽ ἐλάας (sive *ἐλαίας*) *χρυσέας τε Γοργόνος*
τρίαιναν ὀρθὴν στᾶσαν ἐν πόλεος βάθροις
Εὔμολπος, οὐδὲ Θρᾷξ ἀν]αστέψει λεὼς
στεφάνοισι· Παλλὰς δ᾽ οὐδαμοῦ τιμήσεται.

Nunquam committam, inquit Dobreo explicante Praxithea, ut Eumolpus Athenarum tutelam Palladi Poliadi ademptam patri suo Neptuno restituat. Olea et fuscina commemoratis spectat antiquum illud certamen — tantum quod fuscinam non tanquam inde ab ea rixa constitutam, sed demum ab Eumolpo constituendam inducat — idque hoc certamine velut iterari significat. Id autem tragoediae nostrae est convenientissimum. Nam ut Euripidis, Isocratis, Hygini locos aequo saepius me-

(1) Dobrei locum integrum exhibet Pinzgerus, idem, quid proprium sit Boettigero, exponit.

moratos omittam, et Lycurgus — eumque poetae nostri vestigia premere perquam est probabile — tale quid annuit, ubi Eumolpum Neptuno patre natum venisse narrat *τῆς χώρας ταύτης ἀμφισβητοῦντα.* Iisdem enim fere verbis utitur atque Isocrates, qui *ἠμφισβήτησεν*, inquit *Ἐρεχθεῖ τῆς πόλεως, φάσκων Ποσειδῶ πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν αὐτήν.* Proinde hanc conjecturam plerique receperunt, solo fere excepto Pinzgero. Isque complura opponit. Ac primum quidem quod molesto pleonasmo *ἀναστέψει στεφάνοισι* eam laborare dicit, locum ipsius fabulae nostrae supra tractatum excitari sufficiat:

ἀείδοιμι δὲ στεφάνοισι κάρα
πολιὸν στεφανώσας.

Quod autem miratur, qui fuscina, qua Neptuni sacra demum importanda significentur, *ὀρθὴ στᾶσα ἐν πόλεος βάθροις* appellari possit, idque aoristi participio adhibito: tum de hoc conferantur carminis nostri v. 34. 35.

τῇ μῇ δὲ παιδὶ στέφανος εἷς μιᾷ μόνῃ
πόλεος θανούσῃ τῆσδ᾽ ὕπερ δοθήσεται

tum vero, puto, his epithetis mirifice res augetur. Vivido animo, quantum scelus illud futurum sit, depingit regina. Nunquam inquit, committam, ut in hujus ipsius urbis fundamentis constituta fuscina adoretur. Postremo vero Euripidem aliquantum imprudentiae admissurum fuisse dicit, si tridentem, quo sua memoria civium potestas nitebatur, civitati inimicum induxisset. Sed ejusmodi meditatio indigna est poeta nostro, qui quamvis alias grandium fabularum parum capax sit, tamen in hac tragoedia egregium sane animum praestat. Quam alienum quidem tale quid ab Atheniensibus fuerit, jam

pridem re navali florentibus, inde cognoscas, quod eos in Parthenone certamen illud depinxisse narrat Pausanias, et Proclo auctore *ἔτι τάνυν τὰ νικητήρια τῆς Ἀθηνᾶς παρ' Ἀθηναίοις ἀνύμνηται, καὶ ἑορτὴν ποιοῦνται ταύτην, ὡς τοῦ Ποσειδῶνος ὑπὸ τῆς Ἀθηνᾶς νικωμένου* (1). Ac de hoc quidem loco satis exposuisse videor.

Jam vero postquam cur filiam devoveat, egregie exposuit: cives sive chorum hortatur, patriae in salutem eam immolent.

χρῆσθ' ὦ πολῖται τοῖς ἐμοῖς λοχεύμασιν,
σώζεσθε, νικᾶτ'· ἀντὶ γὰρ ψυχῆς μιᾶς
οὐκ ἔσθ' ὅπως οὐ τήνδ' ἐγὼ σώσω πόλιν.

Numero plurali *λοχεύματα* unam dicit filiam. Velut Hippolytus in fabulae cognominis v. 11 *ἁγνοῦ Πιτθέως παιδεύματα* audit et Neoptolemus in Soph. Philoct. v. 35, 36 *αὐτόξυλόν γ'*, inquit, *ἔκπωμα, φλαυρούργου τινὸς — τεχνήματ' ἀνδρός.* Cf. quoque Antig. 568. Egregium ergo in patriam animum postquam omni modo prodidit, ita demum locus fuit et ipsi aliquam laudem vindicandi. Idque extremis versibus agit, ut tamen et hic non tam laudis cupido quam patriae amor cernatur. Optat enim, cives omnes sui sint similes, ita quidem patriam salvam fore.

ὦ πατρὶς, εἴθε πάντες οἳ ναίουσί σε
οὕτω φιλοῖεν ὡς ἐγώ· καὶ ῥᾳδίως
οἰκοῖμεν ἄν σε, κοὐδὲν ἂν πάσχοις κακόν.

Quo loco num *ἐγώ καὶ* an *ἔγωγε* ex vulgata *ἐγώ καί γε* eruendum sit, disceptent alii. De sententia autem

(1) Locos habet Meursius de reg. Att. p. 50.

conferas Menoecei, in patriae salutem sese immolaturi, dicta extrema (1):

εἰ γὰρ λαβὼν ἕκαστος ὅ, τι δύναιτό τις
χρηστὸν, διέλθοι τοῦτο, κεἰς κοινὸν φέροι
πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλασσόνων
πειρώμεναι, τὸ λοῖπον εὐτυχοῖεν ἄν.

Atque ita quidem magnanimam orationem digno terminat exitu.

Praeter hanc orationem nulla Praxitheae dicta servata videntur. Nisi vero fragmentum supra memoratum ei assignare velis:

φιλῶ τέκν', ἀλλὰ πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.

Fragmentum ex Ennii Erechtheo:

Quibus nunc aerumna mea libertatem paro,
quibus servitatem mea miseria deprecor.

a Praxithea editum esse recte monet Welckerus. Cur enim, si quidem Ennius nostrum sequutus est, a filia alienum sit, brevi apparebit. Fortassis autem ex fabula nostra convertit.

Jam postquam Praxithea consilium generosissimum declaravit, et chorus iterum cantavit, idque de patriae, puto, amore, Welckerus nuncium venisse suspicatur, eumque de exercitu hostili tum alia, tum ejus minas retulisse. Ac de his quidem intelligit fragm. VII:

ναῦς ἡ μεγίστη κρεῖσσον ἢ μίκρον σκάφος.

Quo quidem hostium minas significari et ipse libenter assentior. Possis quidem et de nuncii pavore cogitare, sed parum apte, opinor. Sed utrum Euripides a nuncio relatas fecerit, atque adeo nuncium induxerit, valde dubites. Id enim Aeschyli potius videtur esse, qui qui-

(1) Phoen. v. 1028 sqq.

dem in Septem contra Thebas ante pugnam nuncium prodeuntem deque singulis heroibus Argivis eorumque minis uberius narrantem facit. Aliter Euripides. Is enim et in Phoenissis et in Heraclidis, ubi, si qua alias, tale quid exspectes, non solum non habet, sed etiam tum illa fabula ridet Aeschylum, videlicet illis Eteoclis dictis: v. 763, 4.

ὄνομα δ' ἑκάστου διατριβὴ πολλὴ λέγειν
ἐχθρῶν ὑπ' αὐτοῖς τείχεσιν καθημένων.

motum hac Demophontem, regem Atheniensium, in hunc modum loquentem inducit: v. 390 sqq.

ἥκει στράτευμ' Ἀργεῖον Εὐρυσθεύς τ' ἄναξ·
ἐγώ νιν αὐτὸς εἶδον· ἄνδρα δὲ χρεὼν,
ὅστις στρατηγεῖν φησ' ἐπίστασθαι καλῶς,
οὐκ ἀγγέλοισι τοὺς ἐναντίους ὁρᾷν.

Qua de re potius, velut fit in Heraclidis et Supplicibus, caduceatorem ab Eumolpo missum prodiisse puto, eumque maxime jactitantem Ποσειδῶ πρότερον Ἀθηνᾶς καταλαβεῖν τὴν Ἀττικήν. Videsis, quae supra notavimus. Ac si quis Neptuni compellationem:

Αἰθιοπίαν νιν ἐξέωσας εἰς χθόνα

ab Erechtheo alienam putet — id, quod equidem minime crediderim, praesertim quum longius enarrantis esse videatur, veluti fit in prologo — is caduceatori assignet, qui quum incassum ab Erechtheo flagitaverit, cedat imperio, Neptunum commemoratis ejus in filium beneficiis auxilio vocet. Ab hoc igitur minas illas jactas esse putem. Ad eas Erechtheus:

ὀλίγους ἐπαινῶ μᾶλλον, ἢ πολλοὺς κακούς.

Quo dicto τῷ „ὀλίγους" virtutis notionem quoque contineri cognoscas ex opposito πολλοὺς κακούς. Ejusdem

et fragm. IV, VI, X esse putat, neque injuria. tantum quod multo magis idonea existimem, si non coram nuncio, sed caduceatore insolenti, quales sunt in fabulis illis, edita sunt.

οὐδεὶς στρατεύσας ἄδικα σῶς ἦλθεν πάλιν.

ὡς σὺν θεοῖσι τοὺς σοφοὺς κινεῖν δόρυ
στρατηλάτας χρὴ, τῶν θεῶν δὲ μὴ βίᾳ.

τὰς οὐσίας γὰρ μᾶλλον ἢ τὰς ἁρπαγὰς
τιμᾷν δίκαιον· οὔτε γὰρ πλοῦτος ποτὲ
βέβαιος ἄδικος.

Ceterum suspicor, in hoc dialogo locum habuisse incertarum tragoediarum fragm. CCXXVI: ἀεί ποτ' ἐστι σπέρμα κηρύκων λάλον. Satis, puto, loquacem induxit caduceatorem poeta, itaque sive regem sive chorum hoc dicto in eum utentem. Namque hoc ut conjiciam, maxime eo adducor, quod qui in Supplicibus prodit caduceator, statim, priusquam ipsam rem aggrediatur, fastidiosam sane de civitate constituenda orationem orditur. Qua de re Theseus v. 428 eum compellat: κομψός γ' ὁ κῆρυξ καὶ παρεργάτης λόγων et v. 451 sqq.:

τὸν γὰρ ἄγγελον χρεὼν
λέξανθ', ὅσ' ἂν τάξῃ τις, ὡς τάχος πάλιν
χωρεῖν· τὸ λοιπὸν δ' εἰς ἐμὴν πόλιν Κρέων
ἧσσον λάλον σου πεμπέτω τιν' ἄγγελον.

Cf. quoque Heracl. 288 sqq. Quantum quidem loquacitatis spatium tali personae in fabula nostra patuerit, facile videas. Quamquam id non pro certo venditaverim.

Jam vero virginem immolari eamque in rem sacra fieri exspectet aliquis. Huc bene Welckerus refert fra-

gmenta duo a Suida servata, quorum uno *βοῦς ἕβδομος*, altero *σελῆναι* memorantur. Is enim primum haec habet: *βοῦς ἕβδομος. πέμματα κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφαοῦς σελήνης. ἐκάλουν δὲ αὐτὸν βοῦν, προστιθέντες καὶ τὸ ἕβδομον, ἐπεὶ ἐπὶ ἕξ ταῖς σελήναις ἐπεθύετο οὗτος ἕβδομος. ὁμοίως δὲ αἱ σελῆναι πέμματα πλατέα κυκλοτερῆ, ἃ καὶ οὕτως ἐκάλουν. ἔστι δὲ παρὰ Εὐριπίδῃ ἐν Ἐρεχθεῖ καὶ παρ' Ἀχαιῷ ἐν Ἴριδι.* Hoc ultimum autem, puto, non tam de *σελῆναι* quam de *βοῦς ἕβδομος* adjicit. Namque hunc maxime hoc loco agi vel ex titulo cognoscas. Quamquam idem et aliud fragmentum e fabula nostra affert, quo *σελῆναι* memorantur. Sed de eo posthac. Jam quum placenta illa, quae *βοῦς ἕβδομος* audiebat, *μίμησιν* haberet *τῆς πρωτοφαοῦς σελήνης*, in iis, opinor, potissimum sacris, quae luna nascente fiebant, offerebatur. Conjicit igitur Welckerus luna prima regem sacrificium instituisse, ac revera quidem quo filiam immolaret, praetextu tamen pugnae committendae. Nam ante pugnas sacra fieri solitum fuisse nota res est, plus semel Euripidi quoque memorata. Cf. Heracl. 400 sqq. Phoen. 1270 sqq. *νουμηνίους* autem dies apud Graecos celebratissimos fuisse cognoscas ex Meursio (1), qui tum alia tum et hoc notavit, panes tunc fieri solitos fuisse a festo *νουμηνίους* dictos. Quibuscum conferas *σελήνας* nostras. Notat autem Toupius (2), *σελήνας* dum Lunae Graeci obtulerint, simul Proserpinae obtulisse. Eandem enim esse Lunam ac Proserpinam. Atque ex Pollucis loco colligit, proprias fuisse Proserpinae. Quod si recte fecit — nam equidem

(1) Graecia feriata s. h. v. p. 210.

(2) Emendat. in Suid. I. 54. Debeo hoc Matthiaeo.

accuratius in hanc rem inquirere non potui — mirifice cum eo congruit, quod Demaratus Chthoniam Proserpinae immolatam esse tradit. Idem primus expedivit alterum fragmentum, fr. XV:

καί μοι — πόλυν γὰρ πέλανον ἐκπέμπεις δόμων —
φράσον σελήνας τάςδε πυρίμον χλόης.

Videlicet quum virgo videat patrem apparatum solito majorem instituere — duplex enim res agitur, tum sacrificium solitum tum filiae caedes — quaerit patrem fati nescia, quorsum iste apparatus? Patrem, inquam, quaerit. Namque *ἐκπέμπεις* multo convenientius esse quam *ἐκπέμπει* facile videas. Nulla enim re magis elucet generosus Erechthei animus, quam si, quum filia fati nescia ipsum compellet, ipse tamen in sententia perseverat. Atque eum quidem cum filia colloquutum esse ex fragm. XII, sive nostrum sequitur sive antecedit — nam hoc infra videbimus — cognoscas. Quo quum haec legantur:

αἰδοῦς δὲ καὐτὸς δυσκρίτως ἔχω πέρι·
καὶ δεῖ γὰρ αὐτῆς, κἄστιν οὐ κακὸν μέγα.

Welckerus id in hunc modum interpretatur. Velut Agamemnon Iphigeniam immolaturus neque cum ipsa neque cum uxore id communicat, sed illam sacrorum praetextu nuptialium ad locum sacrum pellicere conatur, itaque Clytaemnestram jubet: (1)

ἔκπεμπε παῖδα δωμάτων πατρὸς μέτα,
ὡς χέρνιβες πάρεισιν ηὐτρεπισμέναι,
προχύται τε βάλλειν πῦρ καθάρειον ἐκ χερῶν,
μόσχοι τε, πρὸ γάμων ἃς θεᾷ πεσεῖν χρεὼν
Ἀρτέμιδι, μέλανος αἵματος φυσήματα.

(1) Iphig. Aulid. 1116 sqq.

ita jam rex Chthoniam hortatur, secum foras sive ad chorum sive ad exercitum se conferat, sacrificium, puto, spectatura, ut Antigona in Phoenissis exercitum, vel quod, antequam pugnam committat nunquam forsan rediturus, ultimum cum ea colloqui velit. Jam illa vereri se dicit, foras prodire, namque dedecere id virginem. Tum is his verbis scrupulum eximere studet, neque enim ubique pudori locum esse. Haec autem Welckeri conjectura egregie eo firmatur, quod Euripides saepissime tum alios de mulieribus, tum ipsas maximeque virgines in hanc sententiam de se dicentes facit. Sic, ut exempla nonnulla afferam, in Iphigen. Aulid. 740 Agamemnon Clytaemnestram hortatus, domum se conferat,

οὐ καλὸν, inquit, *ἐν ὄχλῳ σ᾽ ἐξομιλεῖσθαι στρατοῦ.*

Ibidem chorus virginum Chalcidensium in parodo, si quidem hanc Euripidi tribuas (1) v. 185 sqq.

πολύθυτον, inquit, *δὲ δι᾽ ἄλσος Ἀρτέμιδος ἤλθον,*
ὀρωμέναν
φοινίσσουσα παρηΐδ᾽ ἐμὰν
αἰσχύνᾳ νεοθαλεῖ.

Tum in Oresta 107. 8 Helena Electrae quaerenti:

τί δ᾽ οὐχὶ θυγατρὸς Ερμιόνης πέμπεις δέμας;
εἰς ὄχλον, respondet, *ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλόν.*

Porro in Heraclidis v. 475 sqq. Macaria, quum Jolai gemitu audito prodit, primum se excusat:

ξένος, θράσος μοι μηδὲν ἐξόδοις ἐμοῖς
πρόσθητε· πρῶτον γὰρ τόδ᾽ ἐξαιτήσομαι·

(1) Maximam enim partem hujus carminis sane languidi ab Euripide alienam videri notat Odofr. Muellerus Gesch. der griech. Litteratur II. p. 177.

γυναικὶ γὰρ σιγή τε καὶ τὸ σωφρονεῖν
κάλλιστον, εἴσω δ᾽ ἥσυχον μένειν δόμων.

Quid, quod anus Hecuba (1) Polymestore arcessito vix eum se adspicere audere dicit, tum quia sit infelix

ἄλλως δ᾽ αἴτιόν τι καὶ νόμος
γυναῖκας ἀνδρῶν μὴ βλέπειν ἐναντίον.

Maxime vero cum scena, qualem Welckerus inducit, locum e Phoenissis (2) compares. Postquam enim Iocasta filios ipsos certamine singulari digladiaturos esse audivit: infaustum certamen diremptura in exercitum vult contendere. Ipsam autem ut comitetur, hortatur Antigonam. Jam hic orditur dialogus.

Joc. *ὦ τέκνον ἔξελθ᾽ Ἀντιγόνη δόμων πάρος* e. q. s.
Ant. *τίν᾽ ὦ τεκοῦσα μῆτερ ἔκπληξιν νέαν*
φίλοις αὔτεῖς τῶνδε δωμάτων πάρος; e. q. s.
Joc. *ἀλλ᾽ ἕπου.*
Ant. *ποῖ παρθενῶνας ἐκλιποῦσ᾽;*
Joc. *ἀνὰ στρατόν.*
Ant. *αἰδούμεθ᾽ ὄχλον.*
Joc. *οὐκ ἐν αἰσχύνῃ τὰ σά.*

Ac postremis quidem verbis eundem Jocasta scrupulum filiae eximere studet, atque Erechtheus. Est igitur Welckeri conjectura firmatissima. De sententia ceterum cf. Hippol. 390 sqq.

αἰδώς τε· δισσαὶ δ᾽ εἰσίν· ἡ μὲν οὐ κακὴ,
ἡ δ᾽ ἄχθος οἴκων. εἰ δ᾽ ὁ καιρὸς ἦν σαφὴς,
οὐκ ἂν δύ᾽ ἤστην ταὔτ᾽ ἔχοντε γράμματα.

Saepius ita de rebus moralibus loquuntur veteres. Notissimum est Hesiodi dictum:

(1) Hecuba 968.
(2) V. 1299 sqq.

οὐκ ἄρα μοῦνον ἔην ἐρίδων γένος, ἀλλ' ἐπὶ γαῖαν
εἰσὶ δύω e. q. s.

Hactenus de singulis. Jam ut de ordine videamus, Welckerus fragm. XV ante fragm. XII collocat. Sed ab hoc ego discedendum puto. Nam quum scena ante domum sit, velut in omnibus tragoediis Graecis, necesse est pater filiam prius foras evocet, quam illa — id, quod fit fragm. XV — diutius cum ipso colloquatur. Hoc autem fragm. XII facit. Etiamsi enim non in ipsum exercitum, velut Antigona l. l., sed ad chorum egrederetur, tamen ei verendum fuit, quoniam is non, ut in Phoenissis, virginum, sed virorum erat. Velut et Macaria quum primum prodit, veretur. nam chorus est virorum Atheniensium. Eo autem praetextu excitat, ut sacrificio ante pugnam instituendo intersit. Jam vero illa egressa miratur, solito largius institui sacra. Id autem, puto, tum demum animadvertere potuit, quum relicto gynaeceo foris erat. Sin igitnr Welckeri rationem sequi velis, ita tamen interpreteris necesse est, ut fr. XII non, quum in scenam ad chorum prodierit virgo, sed quum una cum patre sacrificium spectatura scena abierit adque exercitum se contulerit, editum esse putes. Sed, puto, postquam semel ad chorum prodiit: iterum cur pudorem prae se ferret, non habuit. Qua de re quam modo proposuimus, rationem sequamur. Jam ut immolationem ipsam accedamus, non in scena factam esse, vel ex perpetuo tragoediae Graecae more, Sophoclis Antigona et Electra, nostri Hecuba, Heraclidis, Phoenissis, Iphigenia comprobato cognoscas. Proinde ipsum cum virgine mox scena abiisse cogitemus. tum, puto, chorus solus relictus iterum cantat, donec nuncius prodit, quid factum sit, narrans.

Sed jam ambigas, utrum virginem de sorte edoctam itaque volentem obiisse fecerit Euripides. Quod si, quas modo ejus tragoedias commemoravimus, compares: hoc ut statuas, adduci possis. Nam Macaria, Menoeceus, Iphigenia, Polyxena vel omnino nulla dubitatione sese offerunt, vel, licet prius acerbam sortem luxerint, mox tamen animo in generosius mutato ultro eam oppetunt. Sed probe notandum est, quum ipsae victimae ultro sese immolandas praebeant, parentes iniquo animo liberorum sortem ferre atque adeo, velut Creon et Agamemnon faciunt, nullo non dolo evitare conari. Hic contra longe alia res agitur. Quantam enim animi generositatem et Erechtheus et Praxithea praestiterint, modo vidimus. Neque igitur necesse fuit, ut et virginem hanc in sententiam dicentem induceret. Sed potius sponte conjicias, ultro a patre percussam fecisse. Atque ita quidem eum instituisse Welckerus quum ex antiquo quodam monumento colligat — de qua re quem laudat Stackelbergerii librum, ***Gräber*** inscriptum, quum nancisci non contigerit, equidem verba facere non possum — equidem maxime conjecerim ex narratione Demarati et Plutarchi supra memorata. Uterque quum Euripidem sequatur, de patris et matris consilio refert, sed nihil tale de filia. Immo quod Demaratus *καὶ οὕτω προσαγαγὼν*, inquit, *τοῖς βωμοῖς τὴν κόρην ἀνεῖλε*, modo cum duobus, quae jam tractavimus, fragmentis conferas, significare videtur, patrem Chthoniam hoc et illo praetextu foras atque usque ad aras pellectam ultro securi percussisse. Neque igitur patrem, quum ad quaestionem filiae, quae fr. XV continetur, responderit, rem veram aperuisse crediderim. Sed, puto, nihil miri sacrorum largitatem habere dicit. Quamquam si filiam

et ipsam animum generosum profitentem inductam esse pro certo haberem: tribuerem ei incert. tragoed. fragm. CXXXVIII:

τὸ μὲν σφαγῆναι δεινὸν, εὔκλειάν τ' ἔχει·
τὸ μὴ θανεῖν δὲ δειλὸν, ἡδονὴ δ' ἐνί.

Videant autem alii, utrum poeta et de filia talem scenam, modo breviorem, instituisse videatur. Ceteroquin nuncius in referenda immolatione memorasse videtur fr. XIV *Ἀσιάδος κρούματα*, quo quum Aristophanes Thesmophor. v. 126 utatur, eum fabulam nostram perstringere dicit Etymologici magni auctor. Idem Asiadem *τὴν τρίχορδον κιθάραν* fuisse dicit. Accuratius Plutarchus de musica c. 6. (1) *ἐποιήθη δὲ*, inquit, *καὶ τὸ σχῆμα τῆς κιθάρας πρῶτον κατὰ Κηπίωνα τὸν Τερπάνδρου μαθητήν. ἐκλήθη δὲ Ἀσιὰς, δια τὸ κεχρῆσθαι τοὺς Λεσβίους αὐτῇ κιθαρῳδοὺς πρὸς τῇ Ἀσίᾳ κατοικοῦντας.* Haec, puto, inter sacrificium pulsabatur.

Jam persequitur Welckerus, quae de trium virginum morte et nominibus sunt tradita. De quibus nos supra exposuimus. Jam vero poetam nostrum duarum quoque sororum mortem voluntariam induxisse tum inde conjicias, quod fragm. III *ζεῦγος τριπάρθενον* memorat, tum quod narrante Theone — vide supra — *τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας Ὑάδας φησὶ γενέσθαι τρεῖς οὔσας.* Namque commutationem mors, opinor, antecederet necesse erat. Sed num ante an post pugnam hanc caedem factam esse velit Welckerus, non addit. Videamus de hoc infra subtilius. Nunc primum accuratiori interpretatione fere uni-

(1) Laudat hunc locum Muellerus Gesch. d. griech. Litterat. I. p. 273.

versa in posterum reservata, quem in ordinem fragmenta reliqua redigat vir sagacissimus, consideremus.

Ac primum quidem Erechtheum oratione suos cohortatum esse suspicatur. Ex qua quidem desumptum putat fragm. IX:

ἐκ τῶν πόνων τοι τἀγαθ' αὔξεται βροτοῖς·
ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀτολμία
οὔτ' οἶκον οὔτε βίοτον οὐδὲν ὠφελεῖ.

Quos versus quum Stobaeus excitet, idem simillimos ex Archelao nostri excitat:

ὁ δ' ἡδὺς αἰὼν ἡ κακή τ' ἀνανδρία
οὔτ' οἶκον οὔτε πόλιν ἀνορθώσειεν ἄν.

De qua re quid sentiendum sit, supra vidimus. Orationem autem statim post factam immolationem habitam esse putat. Tum, inquit, rex ad exercitum contendit, itaque scena abit. Chorus autem, licet supra se pugnaturum peltasque expugnatas in templo suspensurum esse dixerit, tamen veluti ad urbem tuendam relictus esse videtur. Jam dum hic regis generosi laudes canit, immolatam virginem luget, victoriae spe movetur: pugna pugnatur. Finito carmine rerum gestarum prodit nuncius, velut in Heraclidis, Supplicibus, Phoenissis. Ut enim ante pugnas nusquam nuncios inducit Euripides, ita pugnato inducere amat. Tum vero Erechtheus plaga mortifera ictus in scenam portatur. Cujus rei exempla laudat Welckerus Neoptolemum et Peleum (1) apud Sophoclem moribundos in theatrum latos. Possis et nostri Hippolytum et Alcestidem, *ἱλαροτραγῳδίαν* illam quidem

(1) Cf. de his Welcker. l. l. I. p. 225, 26. Ibid. 209.

comparare. Hic autem ultimum liberos adhortatur, ac primum quidem cunctos fragm. XIX:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν μητρὸς ἥδιον τέκνοις.
ἐρᾶτε μητρὸς παῖδες· ὡς οὐκ ἔστ' ἔρως
τοιοῦτος ἄλλος, οἷος ἡδίων ἐρᾷν.

Quo quidem loco non erat, cur *ἡδίων* in *οἰκείων* mutaret Grotius. Laborat quidem quadam verborum affluentia, sed ea facili intellectu. Jungas: *οὐδεὶς ἄλλος ἔρως τοιοῦτός ἐστιν, οἷος ἡ. ε.* sive *οὐδ. ἀλλ. ἐρ. ἡδίων ἐστὶν ἐρᾷν.* Cf. Xenoph. Memorabil. IV. 8 extr. *ἐδόκει τοιοῦτος εἶναι, οἷος ἂν εἴη ἄριστός γε ἀνὴρ καὶ εὐδαιμονέστατος.* Quem locum laudat Matthiaeus Gr. Gramm. ed. 3. §. 445, 6. Eodem ex fragmentis incertis CCXXXIII refert:

χρὴ τοῖς τεκοῦσιν ἀξίαν τιμὴν νέμειν.

Deinde filias monet, ne nubant exteris, nam ex his matrimoniis qui procreentur liberi, non germanorum instar esse, sed non nisi speciem prae se ferre, ac si stirpem propagent, itaque in adoptivorum numero habendos esse. Nam in hanc sententiam recte, si quid ego sentio, interpretatur Welckerus fragm. XVIII:

θετῶν δὲ παίδων ποῦ κράτος; τὰ φύντα γὰρ
κρείσσω νομίζειν τῶν δοκημάτων χρεών.

Compares, quam dedita opera poeta noster toto Jone id evincere studeat, Jonem non ex Xutho, qui Creusam Erechthidem uxorem duxisse ferebatur, sed ex Apolline natum esse, itaque ad veterem Aboriginum stirpem pertinere. *τὰ φύντα* per se et propter se *τοῖς θετοῖς* et *δοκήμασιν* opponit. De *δοκημάτων* videsis Pflugkium l. l. Tandem compellat filium, nescio an Cecropem, quique regnum administret, praecipit. Id, quod fragmento sane non exiguo continetur. Postremo manum ejus prensat, ut ta-

men non amplectatur. Id, quod inest in versibus extremis:

ἀλλ' ὦ τέκνον, μοι δὸς χέρ' ὡς θίγῃ πατήρ,
καὶ χαῖρ'· ὑπ' αἰδοῦς δ' οὐ λίαν ἀσπάζομαι.
γυναικόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

Tum putat Welckerus statim in scena mortuum esse. Mortuo vero Minervam et ipsi et filiabus divinos honores assignasse. Atque hactenus quidem Welckerus.

Jam ubi hanc viri ingeniosissimi sententiam consideres, tum de compluribus statim consentias, tum etiam ea, quae parum certa videantur, maximam veritatis speciem prae se ferre non infitieris. Moribundum victoria demum parta regem suos esse adhortatum tum conjicias ex illo:

κἀποσώσαις ἂν πατρὸς
γνώμας φράσαντος ἢν θάνω

tum *τὸ „αλλ' ὦ τέκνον μοι δὸς χέρ' ὡς θίγῃ πατήρ* ejus esse dixeris, qui animam agens jam non ipse manum possit porrigere. Neque vero prorsus ab Atheniensium traditione discedit poeta, quum pugna interfectum tradit. Videsis, quod supra de Pausania notavimus. Quamquam nonnihil deprehendas, quod huic sententiae adversari videatur.

Ac primum quidem eo offendaris, quod ita qui fabulae exitus inducitur, toto coelo distat ab eo, quem non solum scriptores mythographi, sed etiam ipse poeta noster in Jone inducunt. Tradunt enim ira Neptuni regem interiisse, sive fulmine ictum, sive, quod noster narrat, terra absorptum. De quo supra diximus. Quamquam hoc levius videri possit. Constat enim, in Euripide non ita magni faciendum esse, quod in aliis tragoediis alia

narrat. Welckeri liceat de hac re verba apponere, praesertim quum et ad alia, quae passim monuimus, illustranda sint aptissima (1). «*Mit dem Glauben an die alte Volksreligion*, inquit, *entwich auch der Geist aus den Mythen und die frei gewordenen Hüllen konnten neuen Gestaltungen überzogen werden; die stärksten Abweichungen von der alten Ueberlieferung, von Sitten und Bildung der Heroen, die freieste Fortdichtung und häufige Widersprüche des Dichters mit sich selbst in verschiedenen Dramen in Ansehung des Mythus, so selten bei Sophokles, bei Aeschylus vielleicht gar nicht erweislich, sind eine natürliche und keineswegs tadelnswerthe Folge des genommenen Standpunkts*«. Hanc autem rationem Euripidis esse sequentibus explicat. Cujus quidem rei exempla reperire non ita est difficile. Sic, quum in Troadibus Polyxenam juxta Trojam immolatam faciat, in Hecuba in Chersoneso Thracia id accidisse narrat. Deinde quum in Oresta extremo nunquam fore dicat, ut Neoptolemus Hermionam uxorem ducat, in Andromacha (v. 29.) ejus maritum inducit. Quod vero longe gravissimum est, quum plurimis fabulis Helenam tanquam mulierem tractet vilissimam — videsis Troad. 865 — 1066. Orest. 513 sqq. 727, 731 sqq. 1130 sqq. 1299 sqq. alia — tragoedia, quae Helena inscribitur, tanquam castissimam conjugem inducit, neque enim ipsam, sed duntaxat ejus simulacrum Trojam venisse, ipsam contra in Aegyptum divinitus deportatam, quamvis a rege barbaro tentatam, nihil tamen ei indulsisse. Sed tamen non vili

---

(1) L. l. II. p. 459.

pendenda est unius tragoediae ad id, quod in altera induxisse videtur, conjectura assequendum comparatio. Nam saepius in una fabula breviter commemorat, quod altera fusius aut jam explicavit aut mox est explicaturus. Sic Iphig. Taur. 704 sqq. tangit, quod in Elect v. 1258 sqq. Electram Pyladi nubere fecit. Sic Oresta et Helena uberius persequitur, quod in Elect. v. 1296 sqq. significat de Menelai et Helenae Naupliae adventu deque miris Helenae fatis. Inde aliquis conjiciat, quod in Jone breviter de Erechthei interitu significat, uberius in nostra fabula tractasse. Nam ita quidem ea solum intercedet differentia, quod quum illic multo post accidisse ponat, hic statim post pugnam, idque, puto, longe aptius collocat.

Sed ut hoc mittamus, ipsam nostram videamus tragoediam. Atque hic quidem id maxime me offendit, quod Welckeri sententiam si sequaris, idoneum locum, quo duas illas sorores sese interfecisse dixeris, vix invenias. Etenim ipse nihil accuratius habet. Quod si Erechtheus accepto vulnere moribundus liberos adhortatur:

οὐκ ἔστιν οὐδὲν μητρὸς ἥδιον τέκνοις e. q. s.

filias adhuc affuisse, itaque victoria demum parta atque adeo patre mortuo sibi mortem conscivisse luce clarius est. Id autem ab hujus immolationis consilio est quam alienissimum. Non enim mactatae sororis amor, sed patriae caritas in ea spectari solebat. Quam in rem et Euripides Jon. l. l.

ἔτλη πρὸ γαίας inquit, *σφάγια παρθένους κτανεῖν.*

et Pseudo-Demosthenes l. l. Erechtheum *ἕνεκα τοῦ σῶσαι τὴν χώραν τὰς παῖδας αὐτοῦ εἰς προῦπτον θάνατον δόντα ἀναλῶσαι* dicit. Utque unum afferamus, qui accuratius

tradit, Phanodemus apud Suidam l. l. *τούτων*, inquit, *λέγεται Πρωτογένεια καὶ Πανδώρα δοῦναι ἑαυτὰς σφαγῆναι ὑπὲρ τῆς χώρας, στρατιᾶς ἐλθούσης ἐκ Βοιωτίας.* Atque ipse quidem Welckerus notat, conjurationem illam non nisi patriae ratione habita factam videri, quandoquidem ejus salute unius mors expostulari possit. Ita vero necesse erat, ut non victoria parta, sed, nisi statim post caesam sororem, certe non post pugnae initium sese interficerent. Id, quod et ab Apollodoro narrari supra vidimus. An vero Hyginum mutatis mutandis ita sequamur, ut apud Euripidem Neptunum interfecto Eumolpo iterum victimas expostulasse atque ita duas illas sese devovisse putemus? Sed hoc quidem, puto, paullo artificiosius esse facile videas. Jam vero dixerit aliquis, fragmento illo non omnes liberos compellari, sed non nisi filios — quod si solum Cecropem loquentem induxit poeta, quid vetat, quin complures tanquam *κῶφα πρόσωπα* induxisse putemus? — namque filias vel ultro apud matrem manere alicubi apud nostrum me legere memini. Non omnino repugnaverim. Sed ut omittam, utrum omnino filios induxerit, adhuc esse dubium, tamen illud:

θετῶν δὲ παίδων e. q. s.

non possum, quin ad filias directum esse existimem. Atque omnes quidem hae cohortationes quum, quantum equidem sentiam, serie continua sunt editae: fieri non potest, ut, quae filias spectent, ante pugnam, quae contra filios, post eam colloces. Neque quidquam igitur, Welckeri sententiam si sequaris, relinqui videtur, quam ut sorores victoria demum parta sese interemisse ponas. In quo tota hujus caedis vis interit. Postremo loco accedit, quod illud:

καὶ χαῖρ'· ὑπ' αἰδοῦς δ' οὐ λίαν ἀσπάζομαι·
γυναικόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

non tam ejus esse videtur, qui mortifero vulnere ictus extrema agit, sed ejus, qui licet certam mortem oppetat, integris tamen est viribus. Nam moribundum, puto, vires quoque deficiunt, quin filium amplectatur.

His igitur difficultatibus, ac maxime quidem ea, quam secundo loco posui, quum impedirer, quominus Welckeri sententiae prorsus me addicerem: ipse in aliam opinionem incidi. Quam licet pro vera venditare non sustineam, neque vero jam eadem atque initio fiducia amplectar: tamen proponere juvat. Ita enim utrinque explicatis sententiis quid statuendum sit, viri docti disceptent.

Ita enim fere rem sese habuisse suspicatus sum. Erechtheum, quum sciret, Neptuni ira et ipsum interiturum esse, ante pugnam ultimum cum liberis esse colloquutum, tum inter proelium filias manus sibi intulisse, ipsum victoria parta Neptuno de filii caede irato terra haustum esse. His pone scenam actis nuncium prodiisse puto, quid factum sit, enarrantem, postremo apparuisse Minervam sacra Erechthea instituentem. Sed jam hoc uberius explicemus.

Nam primum quidem quaerat aliquis, unde conjiciam, Euripide auctore Erechtheum interitum a Neptuno imminentem praesagivisse. Equidem quid habeam, jam supra passim monui. Neptunum Eumolpi patrem induxit poeta, atque adeo ipsum Erechtheum id commemorantem fecisse videtur. Atque Eumolpum quidem paternum jus in Attica recuperanda exsequutum esse non solum Hyginus et Isocrates narrant, sed etiam Lycurgus significat. Hujus autem rei vestigium et in Praxitheae ora-

tione deprehendimus, conjectura illa quidem in textum recepta, sed, si quid mei est judicii, rectissima. Nunquam se commissuram esse dicit, ut Minervae sacris turbatis Neptunus ab Eumolpo Athenis colatur. His de rebus sanequam Euripidi licuit, Erechtheum et interitum a Neptuno imminentem mente anticipantem inducere. De quo tamen, quum oraculo non esset edoctus, neque vero, qui fieret, sciret: non erat, quod illico cum suis communicaret. Neque igitur est, cur eo offendaris, quod Praxithea una illa filia immolata et maritum et duas ejus sorores salvos fore dicit. Namque et de harum conjuratione et interitu imminenti nihil eam compertum habere ex hoc ipso dicto cognoscas. Apud se ipsum tacita mente retinet. Demum, quum jamjam in pugnam profecturus est, sibi mortem imminere suis aperit, eos valere jubet itaque ultimum liberos compellat. Hinc *τὸ ἢν θάνω* explices, quo quidem mortem sibi certam esse dicit. Quod autem filium *ἀλλ᾽ ὦ τέκνον, μοι δὸς χέρ᾽ ὡς θίγῃ πατήρ* compellat: tamen non ita sese habet, ac si prae virium defectu ipse manum porrigere nequeat. Sed cogites puerum moestum, quod pater non redeat, manibus languidis adstantem. Eum ut ipsi manum porrigat, hortatur. Extrema vero verba huic sententiae magis favere videri jam monuimus. Postquam vero valere jussit liberos, pugnam committit. Quae dum coepit, duae virgines illae sese interimunt. Nam ita quidem in tempore fit hoc facinus. Jam Erechtheus Eumolpo interfecto victor terra hauritur. Dum autem Praxithea et Cecrops simul cum choro soli sunt in scena — ac chorus quidem interim cantavit — nuncius prodit, quid de rege deque virginibus factum sit, narrans. Illis vero gaudio

et moerore distentis Minerva apparet, divinum iis, qui pro patria sacrisque patriis occubuerunt, honorem assignans, atque etiam, puto, in posterum quoque sese Atticae dominam fore asseverans. In quo quod Erechthidas in Hyadas mutatas fecit poeta, similiter egit atque in Oresta (1), ubi Apollinem apparere et Helenam tanquam sidus nauticum fratribus *πάρεδρον* in coelum evehere facit. Neque tamen loco nostro tam inepte Deum ex machina inducit, atque alias maximeque in Oresta. Sed est cum tota tragoediae *ἰδέᾳ*, qualis, ubi nostram sententiam sequaris, inesse videatur, convenientissimum. Eam enim si sequaris, non tam gentis indigenae cum barbara certamen, sed hoc ipso certamine antiquam illam Minervae et Neptuni simultatem iteratam videas, itemque iteratam Minervae victoriam. Ac Minerva quidem quum Neptuni filium ex Attica propulset, hic ejus clienti interitum parat, at illa eo inter Deos relato victrix evadit. Quamquam et secundum Welckeri rationem Deam ex machina minime alienam esse dixerim.

Non diffiteor equidem, hanc sententiam et ipsam hic illic paullo impeditiorem esse. Possis autem de singulis et aliter statuere, ut tamen caedes virginum duarum inter ipsam pugnam fiat. Namque et Welckerianam non toto animo amplecti possum, nisi vero velis Euripidem — id, quod in eo non ita rarum esse fateor — fabulam in pejus mutasse. Certe vero operae pretium fecisse videor, quod duas illas sententias, in quas, si antiquorum narrationes inter se compares, incidere possis, invicem

(1) V. 1641 sqq.

sibi opposui. Utra sit recta an detur tertia, videant, qui tanta rerum in subtilitate nobis sint exercitatiores.

Jam vero superest, ut singula, quae justo ordine disponere conati sumus, fragmenta accuratius explicemus maximeque egregiam illam Cecropis pueri cohortationem. Nam cetera, minoris illa quidem momenti, jam supra brevibus absolvere placuit. Ac primum quidem quaestio oritur, utrum ipsius filium, an alium quendam, quem filii nomine appellare ei licuit, ab Erechtheo compellatum putemus. Quod si orationem nostram per se consideres, illud extra omnem dubitationem positum esse videtur. Videsis modo exordium et conclusum, quae quum plus semel laudaverimus, hic rursus apponere taedet. Sed negotium facessunt Praxitheae verba supra tractata. Quibus quidem ut non omnino filios, sed non nisi adolescentes sibi deesse dicere videatur: et interpretando et conjiciendo assequi conati sumus. Sed tamen opera nostra parum sufficere videtur. Quid igitur, quod hic Erechthei non filium sed ex Creusa nepotem, Jonem, compellatum in animum inducas? Namque hunc et filii nomine, puto appellare licuit. Videamus igitur de hoc accuratius. Ac primum quidem breviter Herodotus VIII, 44 *Ἴωνος*, inquit, *τοῦ Ξούθου στρατάρχέω γενομένου τοῖς Ἀθηναίοις Ἴωνες μετανομάσθησαν*. Duo tanquam communi traditione circumlata ponit, tum Xuthi esse filium, tum bello quodam Atheniensium ducem fuisse. Ac Xuthum quidem Aeoli filium fuisse tradit Euripides eumque, quum Atheniensibus adversus Euboeenses opem tulerit, ab Erechtheo Creusae conjugio dignum esse habitum (1). Exque

(1) Jon. v. 300 sqq.

ea natum esse Jonem antiqua fama tenuit, memorata Pausaniae VII 1. Bellum autem, quo Atheniensibus opem tulerit, adversus Eumolpum sive Eleusinios fuisse tradunt et Pausanias I, 31 et Philochorus (1), ac tantam quidem eum virtutem praestitisse narrant, ut in ejus *βοηθείας* memoriam *βοηδρόμια* instituerint. Quin narrante Strabone *τὴν πολίτειαν αὐτῷ ἐπέτρεψαν*, isque in quattuor illas tribus eos divisit (2). Utque ab ipso Athenienses Jonum nomen acceperint, ita has ab ejus filiis Teleonte, Hoplita, Ergadeo, Aegicoreo nomina traxisse narrant Herodotus et Euripides (3). Tandem quoque Erechtheo avo defuncto imperium tenuisse refert Conon grammaticus (4). Jam vero tantum virum, qui tantam auctoritatem in eos exercuerat, alienae stirpis esse aegre ferebat animus Atheniensium *αὐτοχθονικός*. Unde enata est fabula, hic illic antiquior illa quidem Euripide, Apolline, non Xutho patre ex Creusa procreatum, Delphis educatum, tandem a Creusa agnitum imperioque donatum esse (5). Quam

(1) Memoratus a Meursio, Att. lection. VI, 21.

(2) Id. Reges Att. p. 119.

(3) Herod. V. 66. Eurip. Jon. 1589. sqq.

(4) Meurs. l. l.

(5) Tota Jonis fabula Jonum in Atticam commigrationem ejusque occupationem contineri vix est quod moneam. Ea vero tum, uti fieri solet, nominibus propriis est involuta, tum animo Atheniensium autochthonico valde est obscurata. Muellerus Euripidis aetate triplicem de Jone famam apud Athenienses percrebuisse suspicatur. Nam primum quidem Apollinis Jonum patroni, deinde autem Xuthi filius esse ferebatur, atque a Xutho quidem Delphis genitus; tertio vero sive Apolline sive Xutho patre ex Erechthide Creusa natum ferebant. Duo priora unum idemque sonare dicit, nam ξοῦθον sive ξανθὸν Apollinis ipsius cognomen esse. Tertii vero generis fabulas fingi solere, quo nova stirps cum pri-

quidem Euripides tragoedia cognomine tractat. Hunc igitur et in Erechtheo inductum esse conjeceris, non quo exercitum duxerit, sed quo imperium ab avo acceperit. Atque eo magis quis eam in opinionem induci possit, quod toto Jone nihil de Cecrope Erechthei filio habet, sed Xuthum imperium tenere idque Joni deferre facit. Sed tamen probe si rem consideres, vereor ut in eo acquiescas. Nam primum quidem nimium quantum id discedit ab ea ratione, quam in Jone poeta sequitur. Nam illic quidem Creusam belli nostri tempore βρέφος νεογνὸν μητρὸς ἐν ἀγκάλαις fuisse narrat, multo demum post ab Apolline compressam, posterius etiam Xutho nuptam, ac demum Erechtheo mortuo reperisse filium. Nostram vero si in fabulam inductum putes, jam belli tempore adolescentem fuisse ponas. Quamquam hoc levius. Sed ipsi nostrae tragoediae num hoc conveniat, spectemus. Id autem omnino negaverim. Nam primum quidem ut Xutho et Creusa parentibus editum ponamus: id sanequam ab ea tragoedia abhorret, in qua Erechtheus filias, ne nubant exteris dehortaturus

θετῶν δὲ παίδων, inquit, ποῦ κράτος; e. q. s.

Ut autem Apollini et Creusae assignemus: Creusam hac tragoedia neque inducere potuit neque vero induxit. Tum enim ζεῦγος τριπάρθενον memorat, tum Praxitheam ita dicentem facit: filia mea —

sea conjungatur. Tria haec suam in rem convertisse dicit Euripidem. Cf. Goetting. Anzeigen 1828, 1074. Videtur sane rectam viam quaestionis impeditissimae solvendae invenisse. Nobis vero haec notasse sufficiat. Nam accuratius rem persequi neque hujus loci neque vero nostrae est doctrinae.

καὶ τὴν τεκοῦσαν καί σε δύο θ' ὁμοσπόρω
σώσει.

Tres solum sorores commemorat, inter quas quidem a nullo scriptore antiquo Creusam referri constat. Proinde, puto, si quidem sibi constare voluit, ne Jonem quidem induxit. Namque tanquam Creusae filius induci debebat, quo Erechtheus eum velut pater filium compellare posset. Neque quidquam igitur relinquitur, quam ut Jone misso de Cecrope altero cogitemus. Quam in rem conferas, quod Euripidem et Pandionem illum insiticium memorare supra vidimus. Ita autem utrum Praxitheae dicta cum hac Erechthei oratione prorsus conciliari possint, videant sagaciores. Jam vero rem laetiorem, ipsa regis dicta, aggrediamur.

Continetur igitur hoc fragmentum praeceptorum serie, quibus Erechtheus filium de regno administrando instituit. Eam autem poeta more hominum antiquorum induxit, quos talibus γνωμολογίαις perquam delectatos esse constat. Ac scite quidem Welckerus monet, ante oculos habuisse videri Amphiarai certo exitio Thebas proficiscentis ad Amphilochum praecepta, quae Thebaide cyclica continebantur. Namque haec quidem, maximeque illud (1):

Πουλύποδός μοι, τέκνον, ἔχων νόον Ἀμφίλοχ' ἥρως
τοῖσιν ἐφαρμόζου, τῶν κεν κατὰ δῆμον ἵκηαι.

quantum inclaruerint apud veteres, inter omnes constat. Imitando expressit Pindarus, cujus in hanc rem reliquias interpretatus est Boeckhius Pindar. tom. II. p. 2. p. 650 sqq. Is autem l. l. et Chironis ad Achillem ὑποθήκας memorat, quae Pindaro Pyth. VI obversatae esse vi-

(1) De Leutsch. Thebaidos cyclicae reliquiae, p. 53.

deantur: Ad hoc genus et haec pertinet oratio, non tam altam illa quidem sapientiam, quam praecepta vitae usum spectantia continens. Jam vero breviter percurramus.

Postquam Cecrops patrem interrogavit, qui fieri possit, ut ipse peradolescentulus regnum administret — nam id quidem *τῷ ὀρθῶς μ' ἐπήρου* significatur — is primum se praecepta dare velle dicit.

ὀρθῶς μ' ἐπήρου, βούλομαι δέ σοι τέκνον,
φρονεῖς γὰρ ἤδη, κἀποσώσαις ἂν πατρὸς
γνώμας φράσαντος, ἂν θάνω, παραινέσαι
κειμήλι' ἐσθλὰ καὶ νέοισι χρήσιμα.
βραχεῖ δὲ μύθῳ πολλὰ συλλαβὼν ἐρῶ.

de primis versibus cf. si tanti est, Oed. R. v. 1511.

κἀποσώσαις in codicibus scriptum esse ex Matthiaei verbis conjiciam, qui Porsono auctore in praef. ad Hecub. p. XXXVI se *κἀποσώσαι'* reponere dicit tum quia in jambicis tragicorum senariis, si quinto pede duas in partes diviso in secunda *ἂν* positum sit, id verbum, ad quod pertineat, proxime excipere atque elisione quidem facta veluti cum eo coalescere soleat, tum quia meminisse multo saepius sit *σώζεσθαι* quam *σώζειν*. Jam vero de hoc ut dicam, constat Graecos maximeque tragicos haud raro activum medii loco ponere. Cf. Philoct. 1108 *οὐ φορβὰν ἔτι προσφέρων* sc. *μοι*. Adde Oed. Col. v. 6. Aiax. 129. Illud autem num recte sese habeat, videant alii.

Jam vero consilio declarato singula praecipere coepit, ac primum quidem ponit, quod summum est in rege

πρῶτον φρένας μὲν ἠπίους ἔχειν χρεών.

Nam *ἠπίους φρένας* jam Homerus (1) in primis regis laudibus collocat, velut quum *πρόφρων, ἀγανὸς καὶ ἤπιος* tanquam ornantia regis epitheta habet, et Ulyxes, inquit, *πατὴρ ὣς ἤπιος ἦεν*

Ac talem quidem regem inducere eo magis Euripidem oportuit quod in re publica versabatur. Proinde licet hic non Theseo aliquo, imperii popularis auctore, uteretur — velut in Supplicibus — tamen ejusmodi rege, ac Demophontem facit, opus erat, qui veretur, vim in cives exercere (2).

Jam hoc persequitur.

τῷ πλουσίῳ τε τῷ τε μὴ δίδους μέρος
ἴσον, σεαυτὸν εὐσεβῆ πᾶσιν δίδου.

Nam ita quidem locum paullo difficiliorem scribendum esse puto, Musgravii codices sequutus, neque vero quoquam nisi *εὐσεβεῖν* in *εὐσεβῆ* mutato. Quod enim vulgo scribunt:

τῷ πλουσίῳ τε μὴ δίδους μεῖζον μέρος
ἴσον σεαυτὸν εὐσεβεῖν πᾶσιν δίδου.

tum primum negotia facessit *τὸ „ἴσον εὐσεβεῖν“*, quod ut per se et propter se *ἴσον τῇ εὐσεβείᾳ* significet, tamen quum *δίδου* junctum sit, vix possis aliter quam »aequo modo venerandum« vertere. Id quod ab hoc loco alienum est. Tum autem de priore versu nostram scripturam et hac exquisitiorem habuerim, et qua ratione haec inde orta sit, facili negotio explices. Nam quum sese exciperent *ΙΣΩΙΤΕ ΤΩΙΤΕ* sanequam inter se simillima, facile alterum omitti potuit. Quo facto immisso *μεῖζον*

(1) Od. 2, 230. sqq.
(2) Heraclid. v. 413.

versus mancus sarciendus fuit. Quod autem *ἴσον* ad *μέρος* retuli itaque in sententia extrema, versu vero primo collocavi: quantam vim Erechtheus in hoc vocabulo inesse voluit, ei assignavi, — quam quidem in rem, si tanti Pind. Ol. II, 94, 95. III, 5, 8 conferas videtur. Denique vero locum nostrum et dictione duobus e Supplicibus simillimum reddidi, quorum maxime cognata est sententia.

Unus v. 408 sqq.

δῆμος δ' ἀνάσσει — οὐχὶ τῷ πλούτῳ διδοὺς
τὸ πλεῖστον, ἀλλὰ χὠ πένης ἔχων ἴσον.

alter v. 435.

γεγραμμένων δὲ τῶν νόμων ὅτ' ἀσθενὴς
ὁ πλούσιός τε τὴν δίκην ἴσην ἔχει.

Quibus quidem et *ἴσον* eandem, ac nos his volumus, vim tenet et duo hominum ordines, idque et particulis *τε — τε* disjuncti, sibi opponuntur. Ceterum quum his locis nostro simillimis popularis civitatis status describatur, iterum cognoscas, Euripidem et antiquum regum imperium quam maxime liberae Atheniensium civitati accommodasse.

Jam qui sequuntur versus:

δυοῖν παρόντοιν πραγμάτοιν, προς θάτερον
γνώμην προσάπτων τὴν ἐναντίαν μίσει.

non paucis difficultatibus laborant. Nam primum quidem spondeus *μίσει* pedi sexto parum convenit. Deinde vero nullo sententiae vinculo aut cum antecedentibus aut cum sequentibus conjuncti tenentur. Atqui, licet ordo logicus tali *γνωμολογίᾳ* non sit intrudendus, id tamen animadvertas licet, nullam sententiam breviter uno duobusve versibus esse expressam sed per complures propagatam.

Hic autem quum versu proximo novus ordo incipere videatur, nexus cum antecedentibus intercedat fere expostulatur. Atque his quidem, quali forma expressi sunt, contradicere videri possint. Quibus de rebus Pflugkius (1) recte vinculum cum prioribus intercedere suspicatus ejusmodi fere sententiam desiderari dicit, qualis sit Androm. 958

σοφόν τι χρῆμα τοῦ διδάξαντος βροτοὺς
λόγους ἀκούειν τῶν ἐναντίων πάρα.

Quicum conferas Heracl. 179, 80.

τίς ἂν δίκην φράσειεν ἢ γνοίη λέγειν,
πρὶν ἂν παρ' ἀμφοῖν μῦθον ἐκμάθῃ σαφῶς;

Namque id quidem cum *ἠπίοις φρεσὶν*, cumque aequa in divites pauperesque mente arcte cohaeret. Conjicit igitur:

δυοῖν παρόντοιν πραγμάτοιν προθυμίαν
γνώμης προσάπτων τοῖν ἐναντίοιν ἴσην.

Audacius illud quidem, quo tamen melius equidem reperire non potui. Quod si cui in mentem veniat

— πρὸς θάτερον
γνώμην προσάπτων τοῖς ἐναντίοις ἴσην

codices quidem pressius sequutus tamen eo laborat, quod ita *τοῖς ἐναντίοις* pro *τῷ ἐναντίῳ* accipiat necesse est. De qua re tum antecedente *θάτερον* tum propter locum Androm. laudatum dubitaverim. Tantum quod *προσάπτειν*, quod in uno libro legitur, praetulerim, velut infra *διωκάθειν* imperativi locum tenet. Videtur hoc *ἴσην* in *μίσει* mutato et ipsum in participium abiisse.

Jam vero novam coepit seriem. Opes ad compa-

---

(1) Schedae criticae p. 6. laudatus a Welckero.

randas hortatur, ac primum quidem, ne injuste in hoc agat:

ἀδίκως δὲ μὴ κτῶ κτήματ', ἣν βούλῃ πολὺν
χρόνον μελάθροις ἐμμένειν· τὰ γὰρ κακῶς
οἴκους ἐσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν.

De quo nil notandum. Sed tamen comparet, hortatur, enumerandis earum commodis:

ἔχειν δὲ πειρῶ· τοῦτο γὰρ τό τ' εὐγενὲς
καὶ τοὺς γάμους δίδωσι τοὺς πρώτους ἔχειν.

Quod quidem praeceptum in universum aestimanti prorsus convenit priscis illis temporibus, quibus et ipsi reges praediis colendis opes comparabant. Jam contrarium notat:

ἐν τῷ πένεσθαι δ' ἐστὶν ἥτ' ἀδοξία
κἂν ᾖ σοφός τις, ἥτ' ἀτιμία βίου.

Rem plurimis locis a Theognide tractatam, cf., si tanti est, v. 267 sqq. et v. 621 sqq. Ac decantatam illam quidem esse noster ipse notat in Phoenissis v. 448 sqq.

Jam quibus amicis utatur, instituit, rem apud reges gravissimam, eaque de causa nonnusquam a Pindaro in carminibus tyrannis Siculis scriptis tractatam:

φίλους δὲ τοὺς μὲν μὴ χαλῶντας ἐν λόγοις
κέκτησο, τοὺς δὲ πρὸς χάριν σὺν ἡδονῇ
τῇ σῇ πονηροὺς κλεῖθρον εἰργέτω στέγης.

Alterum membrum bene explicat Matthiaeus allato Herodot. VII, 101, ubi Demaratus Lacedaemonius Xerxe de virtute Graecorum interrogante ita infit: *Βασιλεῦ, πότερα ἀληθηίῃ πρὸς σὲ χρήσομαι, ἢ ἡδονῇ;* Quod autem Plutarchus de discrim. adult. et am. Tom. II.

p. 63 (1) haec ipsa dicta Meropae tribuat, filium, puto, regno potitum instituenti: nihil miri habere supra vidimus. Jam in eandem rem pergit:

ὁμιλίας τε τὰς γεραιτέρας φίλει,
ἀκόλαστα δ' ἤθη, λαμπρὰ συγγελᾷν μόνον,
μίσει· βραχεῖα τέρψις ἡδονῆς κακῆς.

In quo *ἤθη* ipsos homines dici luce clarius est. Jam extremis dictis facili transitu annectuntur sequentia:

ἐξουσίᾳ δὲ μήποτ' ἐντυχών, τέκνον
αἰσχροὺς ἔρωτας δημοτῶν διωκάθειν.
ὃ καὶ σίδηρος ἀγχόνας τ' ἐφέλκεται
χρηστῶν πενήτων ἤν τις αἰσχύνῃ τέκνα.

Tali cohortatione opus fuisse nemo miretur, qui tum foedissimam veterum maculam *παιδεραστείαν*, tum quales complurium tyrannorum mores fuerint, noverit. Compares, quid de his noster Theseum dicentem faciat (2):

τί δεῖ, inquit — παρθενεύειν παῖδας ἐν δόμοις καλῶς
τερπνὰς τυράννοις ἡδονάς, ὅταν θέλῃ,
δάκρυα δ' ἑτοιμάζουσιν; μὴ ζῴην ἔτι,
εἰ τἀμὰ τέκνα πρὸς βίαν νυμφεύεται.

Jam quod de periculo inde redundanti dicit — in qua re quod pleonasmo quodam usus est, cf. Herod. I, 51 *ὡς οἱ παρὰ δόξην ἔσχε τὰ πρήγματα, ἢ ὡς αὐτὸς κατεδόκεε* — induci possis, ut de morte voluntaria sive propriis manibus consciscenda intelligas, eo nimirum adigi tyrannos. Tum enim *ἀγχόνην*, tum autem *σίδηρον* et *ἀγχόνην* maxime commemorat noster, ubi de hoc agit.

---

(1) Ita excito secundum Matthiae. Ipse Plutarchum inspicere non potui.

(2) Supplic. v. 444. sqq.

Confer de illo Phaedrae mortem Hippol. 785, de hoc autem Alcest. 229, Or. 942, 3, Phoen. 341—44. Quamquam id parum aptum esse videtur. Potius de vi tyrannis illata cogites. Mihi quidem poeta Hipparchi exitium videtur ante oculos habuisse. Is enim locuplete teste Thucydide (1) Harmodium tentavit. Is autem quum amatore uteretur Aristogitone, qui *μέσος πολίτης* audit, non concessit, sed apud hunc conquestus est. Atque hic quidem *ἐρωτικῶς περιαλγήσας καὶ φοβηθεὶς τὴν Ἱππάρχου δύναμιν μὴ βίᾳ προσαγάγητα, αὐτὸν*, aemulum ense interfecit. Atque *ἀγχόνην* quoque tanquam poenae genus noster memorat in Andromacha v. 412, 3.

Postremo, ne pravos homines foveat, dehortatur, quos quidem versus maximam partem praeter Stobaeum et Plutarchus de fortit. Alexandri p. 337 (2) memorat.

καὶ τοὺς πονηροὺς μήποτ' αὔξειν ἐν πόλει.
κακοὶ γὰρ ἐμπλησθέντες ἢ νομίσματος,
ἢ πόλεος ἐμπεσόντες εἰς ἀρχήν τινα
σκιρτῶσιν, ἀδόκητ' εὐτυχησάντων δόμων.

σκιρτᾶν latino verbo »exsultare« compares. Excitat in hanc rem Pflugkius Schulzeitung l. l. Jacobs Lectiones Stobaeae p. 78 quem tamen librum adire mihi non contigit. *ἀδόκητ'* alteri scripturae *ἀδίκως* praestare facile videris.

Postremo valere jubet filium:

ἀλλ' ὦ τέκνον μοι δὸς χέρ' ὡς θίγῃ πατήρ·
καὶ χαῖρ'· ὑπ' αἰδοῦς δ' οὔ λίαν ἀσπάζομαι·
γυναικόφρων γὰρ θυμὸς ἀνδρὸς οὐ σοφοῦ.

---

(1) Thucyd. VI, 54 sqq.
(2) Notante Welckero.

De quo videsis, quae supra notavimus.

Ac de tragoedia quidem ipsa haec hactenus. Profecto, puto, integra si nostram ad aetatem pervenisset, praestantissimis poetae nostri operibus adnumeraretur. Namque is in disjectis, quae supersunt, membris et egregiam artem et generosum animum praestat.

Postremo loco quaerat aliquis, quo fere tempore fabulam actam putem. Duo habeo de hac re testimonia. Nam primum quidem Aristophanem in Thesmophoriazusis, quum *Ἀσιάδος κρούματα* memoret, Erechtheum nostrum tangere supra memoravimus. Jam vero hanc comoediam Olympiadis XCI anno primo actam esse docuit Odofr. Muellerus (1). Proinde quum illum ante hunc annum editum esse constet, tamen non ita brevi ante hoc factum esse ex Plutarchi loco conjecerim. Narrat enim in vita Niciae (2), Niciam Brasida et Cleone mortuis paci componendae summam operam dedisse, fuisse autem et Spartanos et Athenienses valde propensos. Jam hujus propensionis causas affert. *ἦσαν πρότερον*, inquit, *πεποιημένοι τινὰ πρὸς ἀλλήλους ἐκεχειρίαν ἐνιαύσιον, ἐν ᾗ συνιόντες εἰς ταὐτο καὶ γενόμενοι πάλιν ἀδείας καὶ σχολῆς, ἐπόθουν τὸν ὁμίαντον καὶ ἀπόλεμον βίον· ἡδέως μὲν ᾀδόντων τὰ τοιαῦτα χορῶν ἀκούοντες*

Κείσθω δόρυ μοι μίτον ἀμφιπλέκειν ἀράχναις.

ἡδέως δὲ μεμνημένοι τοῦ εἰπόντος, ὅτι τοὺς ἐν εἰρήνῃ καθεύδοντας οὐ σάλπιγγες, ἀλλ' ἀλεκτρυόνες ἀφυπνίζουσι. Proinde, pergit, pacem composuerunt. Jam vero versus ille, quem tanquam unum e multis exemplis — nam *τὰ*

---

(1) Gesch. d. griech. Litterat. II. p. 246. Consentit Clinton fasti Hellenici ed. 2, p. 77 u. 79.
(2) Cap. 9.

τοιαῦτα dicit — laudat, ex nostra fabula desumptus est. Exstat enim in eo cantu, quem supra explicavimus. Ponit igitur scriptor, eam aut ipso induciarum anno aut antea etiam actam esse. Quod si postero demum tempore editam esse pro certo habuisset: alio, puto, exemplo usus esset. Jam vero has inducias Olymp. LXXXIX anno secundo factas esse auctor est Clintonius (1). cf. Thucyd. 4, 116 extr. — 118. Infra hunc annum igitur actam esse non crediderim. Fortassis autem Euripides, quum bello pressi Athenienses pacem exoptarent, dedita opera carmen illud ita composuit. Compares, quod in Supplicibus (2), quam fabulam Ol. LXXXIX anno quarto itaque pace recens composita prodiisse auctor est Boeckhius (3), multus est in belli incommodis pacisque laudibus persequendis, idque eadem fere atque hic ratione. Nam quum hic inter pacis amoenitates poetarum studium referat, illic eam vocat *μούσαισι προσφιλεστάτην*. Sed haec hactenus.

Vos vero his, qualiacunque sunt favete!

(1) L. l. p. 68.
(2) V. 481 sqq.
(3) De Graecae tragoediae principibus p. 187.

ADDENDA.

Pag. 9 lin. 3 pro vero lege vera
„ 20 „ 22 „ a „ e
„ 34 „ 6 „ *ἀρνὸς ἔσθειν* lege *ἀρνός ἐστι*
„ — „ 8 „ Antiphanes lege Aristophon
„ — „ 10 versui praepone *τοὺς*
„ 50 „ 8 pro *βαρβάροις*, lege *βαρβάροισι*
„ 34 His locis allatis *βαρβάρους ἀπίχθυς* nondum profligasse videor. Quam enim causam esse dixeris, cur piscium potissimum abstinentiam memoret poeta? Id ita demum facere licuit, si quae gens his ante omnia abstinere ferebatur. Hoc autem factum esse restat, ut comprobemus itaque nostram de Getis conjecturam ratam faciamus. Jam vero Athenaeus p. 308: *οἱ Πυθαγορικοὶ τῶν μὲν ἄλλων ἐμψύχων μετρίως ἅπτονται, τινὰ δὲ καὶ θύοντες ἰχθύων μόνον οὐ γεύονται τὸ παράπαν διὰ τὴν ἐχεμυθίαν. θεῖον γὰρ ἡγοῦνται τὴν σιωπήν.* Jam vero quum Getas Pythagoreum institutum sequutos esse constet: sanequam *κατ' ἐξοχὴν ἀπίχθυς* vocari licuit.

VITA.

Ego Rudolphus Gustavus Adelhardus Nagel natus sum Cliviis prope Rhenum, anno hujus saeculi vicesimo primo a. d. IV. Nonas Septembres, parentibus Theophilo Ludovico et Lucia e gente Becker, utroque Megalopolitano. Fidem profiteor evangelicam. Patrem optimum, quo dirigente urbis patriae gymnasium floruit, sextum annum agenti praematura morte ereptum lugeo. matrem adhuc superstitem pio veneror animo. Schola triviali primis litterarum elementis institutus mox gymnasium frequentavi, idque primum Riglero, nunc Postamensis gymnasii directore, tum Helmkio, viris de me meritissimis gratissimoque semper animo mihi colendis, studia nostra regentibus. Octo ibi annis exactis cum maturitatis testimonio dimissus a. h. s. tricesimo octavo almam academiam Bonnensem petivi, litteris sacris me dicaturus. Ibi a Mayero V. Cl., tunc Rectore Magnifico, in civium numerum receptus, theologorum evangelicorum autem ordini adscriptus per Bleeckium V. S. R., Decanum spectatissimum, studia theologica exorsus sum. Atque omnes quidem, quotquot ibi florent theologi clarissimi, Augustium beatae memoriae, Nitzschium, Sakkium, Sommerium, Kinkelium, maximeque Bleekkium V. V. S. R. audivi. Quum vero jam in gymnasio maximo amore scriptores antiquos maximeque poetas Graecos amplexus essem: id in academia, quantum per studia theologica licuit, persequi decrevi. Qua de re non solum Welckerum V. Ill. antiquitates Graecas, Ritschelium V. Ill. et Lerschium V. Cl. Romanas docentes audivi, nec non Welckero fragmenta poeseos Graecorum lyricae, Heimsoethio V. Cl. Aristophanis Ranas interpretantibus auscultavi, sed etiam seminarium, quod duumviris illis celeberrimis dirigentibus floruit, frequentavi, ac per unam quidem hiemen sodalis ejus ordinarius fui. Praeterea quoque Fichtium V. Cl. logicen, Brandisium V. Cl. philosophiae historiam tradentes habui. Quamquam adolescentulum parum allexerunt studia philosophica. Uno anno et dimidio exacto hanc florentem Musarum sedem petii, atque hic quidem potissimum in theologiam incubui. Ac nemini quidem clarorum virorum, quotquot hic studiis theologicis praesunt, quum non multum debeam — nam et Marheineckium, Twestenium, Hengstenbergium, Straussium, Vatkium V. V. S. R. attente audivi — maxime tamen de me Neander V. Ill. est meritus, cujus quidem scholas frequentavi plurimas. Nam is quidem, uti innumeris aliis, ita et mihi, huc illuc agitato, commonstravit, quid tempori esset obnoxium, quid vero sempiternum maneret ac stabile in tempestate tumultuosissima. Nec tamen studia philologica neglexi. Nam audivi quidem Viros Summos Boeckhium et Grimmium, quorum hic grammaticam Theotiscam, ille vero tum artem Graecorum et Romanorum metricam me docuit, tum in Demosthene, Pindaro, Sophocle interpretandis auscultantem me habuit. Praeterea quoque Geppertio V. Cl. Euripidis Jonem explicanti interfui. Hic magis magisque in philosophiam quoque incubui. Ac primum quidem Twestenium V. Cl. de philosophia religionis disserentem, Trendelenburgium autem V. Cl. historiam philosophiae inde a Kantio tradentem audivi, deinde vero Schellingii V. Ill. de philosophia revelationis et mythologiae scholas frequentavi. Hac aestate autem Rankium V. Ill. historiam Germanicam universam tradentem habui.

Quibus viris illustrissimis, summe de me meritis, propter tot tantaque in me beneficia collata gratias, quam possum maximas, summa cum reverentia ago semperque habebo.

THESES.

1. Vocabulum »semper« a Graeco *διαμπερές* originem ducit.
2. Oed. Col. v. 1665 Wund. Codd. scriptura *φαινόμεναι* in *φανόμεναι* sive potius in *φαόμεναι* mutanda.
3. Quam Kantius theonomiae opposuit practicae rationis autonomiam, nec cum ceteris ipsius placitis ethicis, neque vero cum experientia conciliari potest.
4. Jure divus Plato (Theaetet. p. 155): *μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν.*
5. Magna modis parvis tenuant, qui imperium Romanum in Germanos collatum Germaniae perniciei fuisse dicunt.